2

APOLOGETICA EXPOSTVLATIO PRO S. P. Q. MAMERTINO.

L. PORCIO CALBETO
I. C. MESSANENSI
Auctore.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

VENETIIS,

Apud Nicolaum Miſſerinum. MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO
SENATVI
MESSANENSI

D. Marcello Cirino, D. Cæſari Piſci, Sallimbenio Pancaldo, Ioſepho Barilio, D. Franciſco Spataphoro, Franciſco Fotio. F.

SCRIPSIT ſuperiore anno L. Porcius Calbetus expoſtulationem pro S. P. Q. Mamertino, & , vt ipſe exiſtimauit, boni ciuis munere perfunctus ſibi videbatur, ſi querelas ſenſuſque ſuos patriæ nomine apud Amicum rebus noſtris & beneuolentem hominem veluti poſuiſſet: vnum quidem illum, ſed qui & ſapientiæ laude, & omnimodæ eruditionis præſtantia, & magna in republica auctoritate, omnium inſtar eſſet, & cui vni ſi cauſam ſuam probaſſet, momenti multum ad res ciuitatis ſubleuandas attuliſſe videretur. At mihi diuerſa ratione tantum de cau-

ſa

ſæ noſtræ bonitate ſpei eſt, vt peccaſſe in publicam rem auctor mihi videatur, qui lucubrationem eam publico tamdiu inuiderit. præſertim cum aduerſarij hoc potiſſimum tempore in ſcriptionibus toti ſint, &, quæ ſunt auctoritate, illas Regi, Principi, Senatui ſupremo recta legendas offerant. quin igitur & nos quoque pro virili patriæ non deeſſe adlaboramus? quin noſtra omnium deſideria ad Regem vti omnium Maximum, ita omnium Optimum perferri feſtinamus. Porro de Patrono ſcriptiunculæ deligendo nihil fuit, quod diu eſsem ſollicitus. Vos enim Illuſtriſſimos Senatores quorum cauſa agitur, vos qui Mamertinam vrbem conſilio ſapientiaque florentiorem, iuſtitia atque æquitate ſecuriorem, publicorum operum, Tèmplorum, Fontium, Senatoriæ Domus, &, quam ſecuturæ ætates non ſatis admirentur, magnificentiſſimæ Viæ, an Theatri molitionibus pene alteram reddidiſtis, Tutelæ huius tutelam gerere æquiſſimum eſt, ac, qua eſtis in Patriam charitate, ab inimicorum iniurijs calumnijſque vendicare.

Ill.^rum DD. VV.

Addictiſſimus Cliens

Gregorius Aliprandus.

EXPOSTVLATIO PRO S. P. Q. MAMERTINO.

SICILIÆ adminiſtrandæ ratio, ſi ad vetuſtiora ſæcula prouocamus, aliam omnino formam habuit, quam ea ſit, quæ recentiorũ moribus introducta eſt. Nam, vt à Romanis initium faciam, qui omnium primi totius inſulæ imperium tenuere, ſi Ciceroni, Liuio, Straboni, credimus, non vnus erat ac ſtatus Prætori locus, ſed tres tota Sicilia conuentus, Meſſanæ, Syracuſis, Liliboci. Eo concilium indicebatur, eo prouinciales euocati priuatas, aut publicas controuerſias afferre, Prætorum edicta, iudicia, audire ſoliti. Ac ne quidem æquis anni partibus in ijs ciuitatibus degebant, ſed vel ipſa ſumma æſtate, nedum verno tempore, mos erat, prouinciam omnem obire, qua rei frumentariæ tractandæ, qua rei militaris. quocirca maximo probro C. Verri datum, quod id anni tempus, quod omnes Siciliæ Prætores in itineribus conſumpſerant, ille Syracuſis pulcherrimo in luco, ſtatiuis ad luxum omnem libidinemque caſtris extructis tranſegiſſet. Nimirum populus ille gentium domitor (dubius hæreo, vtra re value-

rit magis, fortitudine in ſubiugandis hoſtium prouincijs, an conſilio, prudentiaque in ijſdem adminiſtrandis) vix fieri poſſe cenſuit, vt niſi varijs itineribus per prouinciam faciendis rectæ gubernationi conſultum eſſe poſſet. Vt enim bonis corio ad ſolem durato (viliſſimæ rei comparatione vtar, ſed quam prudentiſſimi viri in loco vſurparint) ſi quis inſideat, eæ tantum partes complanantur, adæquanturque cum ſolo, quæ pedis veſtigio teruntur, reliquæ vero ſuſtollunt ſe ſe, & contumaces veluti ſtantis imperium recuſant; ita non alia ratione prouinciæ quietem ac felicitatem fundare ſe poſſe Princeps ſciat, quam ſi ſingulas ciuitates frequens inuiſat, perditorum audaciam compeſcat, miſeros homines potentiorum calumnijs oppreſſos præſenti ope, ac veluti data manu ſubleuet. Porro vero vel omni barbarie barbariores Sarraceni an non ipſi quoque ad Romanum morem eorũ politiã (ſi qua tamen erat) efformarunt? ſic enim à maioribus accepimus, diuiſa inter Sarracenorum Regulos Sicilia tota, tres fuiſſe delectos, qui tribus eius partibus ſummo cum imperio præeſſent, quibus & acceptam ferimus triplicem hanc inſulæ partitionem, quam hodieque vſurpamus. Sed & Gallis quoque in diurno pene illo Siciliæ imperio, quod Veſperi eſſe deſijt, hanc ipſam regendæ prouinciæ formam placuiſſe in annalibus legimus. qui hoc quoque addunt Hertbertum Aurilionum ſupremũ Præſidem Meſſanæ egiſſe, Ioannem Sanremigium Vallis Mazariæ Præfectum Panhormi, Thomam Buſantum Netinæ Præfectum Neti aut Syracuſis. Gallis exactis, cum non iam per præfectos prouinciam adminiſtrare, ſed coram rem ſuam agere, Siculis Regibus expeditius viſum eſſet, Panhormi plurimum, plurimum etiam Meſſanæ, & quandoque alijs locis, vt res, vt occaſio poſtulanit, moram trahere ſoliti ſunt. Poſt vero, cum extincta Maria vltima Siculorum Regina ad Aragonũ Reges inſulæ imperium tranſijſſet, atque adeo vicarijs operis adminiſtranda mandaretur, toto illo ſæculo, quod inter decimumquartum & decimumquintum medium fuit, non certam ſedem Proreges habuere, niſi nos hiſtoriæ fallunt, leges editæ & publica actorum monumenta. Non tamen negauerim, ſuperiori ætate altius egiſſe radices hoc malum, prorſus ita vt Panhormitana ciuitas

ſtata,

ſtata, ac ſolemnis veluti Proregum ſedes fuiſſe videatur. ſed nec quidem ita certo ac vniformi iure, quin non frequentiſſime hæc poſſeſſio vſurpata ſit, & tum diuturna huius vrbis habitatione, tum legitimo ac ſolemni in prouinciam appulſu, quem veteres proceſſum appellarunt, Metropolim teſtati ſint.

Porro vero, vt propius accedamus, huius mali fontem duplicem videre mihi videor. Odium, Auaritiam. quos non digito ſolum indicare animus, ſed etiam oculis ipſis ſubijcere, & manu admota, immiſſoque veluti ſpecillo vlceris altitudinem tentare. Nam ſiue Siculæ nobilitatis ordinem conſideremus, ſiue Regium ipſum Senatum, Dij boni, quam atrox, quam immane, quam perpetuum noſtræ ciuitatis odium eos tenet. exempla quidem ipſa præſto eſſent, neque pauca, neque vnius generis; ſed ne dicendi ordinem turbem alio relego. neque difficile erit, cum tam manifeſtæ, tam perſpicuæ, & apertæ ſint offenſiones, earũ cauſas perueſtigare. Ac Proceres quidem iam inde à turbulentiſſimis ijs temporibus, quæ Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum & Siciliæ Regis mortem inſecuta ſunt, irarum atq; odiorum ſemina collegere. Cum enim Petrus Cardonius Coliſani, Federicus Abbatellus Camaratæ, Hieronimus Filingerius Sancti Marci Comites, Simeon Vintimilius, Mattheus Santapau Licodiæ Marchiones, Ioannes Baptiſta Barreſius Militelli, Guglielmus Vintimilius Ciminnæ domini alijque Siciliæ Proceres, quos longum eſſet numerare, priuatis quiſque cauſis Hugoni Montecatino Proregi acerrime infenſi, extincto Rege, Hugonem quoque magiſtratu exutum contenderent, ingentes & toti Siciliæ funeſtiſſimos motus Panhormi excitarunt. nam ſubmiſſa per aſtum plebe, &, vt ſe poteſtate abdicaret, minis iniurijſque Hugonem vrgente, cum nihil interim promouerent, admotis tandem è Panhormitana regia machinis, ac tormentis, oppugnatum Proregem in eas anguſtias adegere, vt non niſi mentito habitu adornata fuga ſalutem quæſierit. Profugus itaq; Mylas Mamertinæ ditionis oppidum contendit, ne tum quidem animi præ metu compos, imo planè rebus ſuis diffidẽs, nam interim Siculæ omnes ciuitates, præter vnam Leontinam, qua Panhormitanæ vrbis auctoritatem ſecutæ, qua

Procerum ſtudio, flagitioſa defectione, eiurata Proregis fide, pro ſe quæque nouos magiſtratus ſibi præfecerant. ſcelerati illi fuiſſent, ſi Principis maieſtatem ſoli temeraſſent, tanto ſceleratiores, quod in ſocietatem facinoris omnibus Siciliæ populis aſſumptis, rebelles eos fecere. Incerto igitur conſilij Hugoni, & quo ſe iactaret in eà rerum deſperatione jam planè dubio (nam de Meſſanenſium fide non rectè cogitabat, quod eos antea non leuiter læſiſſet) vna illa ſalutis, ac dignitatis quoque recuperandæ ſpes affulſit, quod noſtri re cognita, priuatis odijs tacere iuſſis, Regiæ dignitatis aſſerendæ cauſam, à Siculis oppugnatam, fouendam id temporis ſtudijs omnibus, tuendamque exiſtimarunt. Itaque Proregem alia omnia cogitantem, in ſumma rerum difficultate poſitum honorificentiſſima legatione exceptum in vrbem deduxere. conſilio, animis, re affuere, preſentemq; ad reſumendam auctoritatem confirmarunt. Tum quidem primum Hugo lucem aſpexiſſe viſus eſt, ac ſubinde datis ad prouinciæ ciuitates edictis, Siculos in fide imperioque retinere cœpit. Ea res non Mamertinis gratiam, ſed odium magis inuidiamque conciliauit. Itaque non ſecus ac ſi communem prouinciæ ſalutem ac libertatem hoſtibus prodidiſſent, Siculæ ciuitates iureiurando ſe in excidium vrbis obſtringunt; & quoniam armis iniuriam vlciſci minimè poterant, commeatus Meſſanam inferri, edicto prohibent, itinera mariaque omnia obſident, quo ſumma in ciuitate ex fame deſperatio ſequeretur. Et fuiſſet de ſalute proculdubio conclamatum, ni Leontina ciuitas pro ea, qua in nos eſt amicitia, aliquem frumenti modum aduehi diligenter curaſſet, ni Meſſanenſes, vt quibus pro anima res eſſet, obſeſſis freti anguſtijs prædatorum more, naues obuias vi aut prece ad frumenti venditionem coegiſſent. Verum cum poſteà Hector Pignatellus Montiſleonis Comes ſucceſſor Hugoni datus eſſet, atque iſte abrogatis magiſtratibus, quos Panhormitani ſibi delegerant, reſtauratis publicis vectigalibus, promiſſa populo per edictum peccatorum impunitate, vnos viginti viros incerti nominis ſibi proſcribendos recepiſſet; iterato Panhormitani in ſeditiones abeunt, coniurationeque inita Senatum omnem inter ipſa Diuæ Chriſtinæ ſacra trucidandum ſtatuunt, at cum, conſilijs in vulgus per-

manantibus, Hector & reliqui Senatores domi ſe continerent, maius aliquid audendum Panhormitani rati prætoria ipſam domum obſident, igneque foribus iniecto, magnaq; vi effractis Proregem ſeruato decore Regio (ſic Fazellus loquitur) capiunt, Regia egredi iubent, atque alio cuſtodiendum amandant. tum deinde perueſtigatis domus penetralibus Senatores ad necem quærere, repertos ſtatim cædere, nudatoſque è feneſtris in ſubiectam aream, immani ſanè atque horrendo ſpectaculo præcipites agere, excipiente miſerrimos homines ipſa telorum cuſpide, infenſiſſima plebe, ac per ludum, & iocum pilæ modo iactante. bidno ſæuitum in Togatos Viros, & miris ac vix dum auditis rationibus pro furentiſſimorum hominum libidine ſumpta ſupplicia, vt cum neque Proregis ſaluti in tanta peccatorum licentia ſatis conſultum Panhormi eſſet, Meſſanam, tutiſſimum ſcilicet aſilum, profugere, opere prætium fuerit.

Hæ ſunt cauſæ, hæc odiorum ſeminaria, quibus Siculæ nobilitatis offenſionem incurrimus. hæc crimina, quorum inuidia iam diu conflagramus. Nam cum Siculæ iſtæ procellæ, ac tempeſtates non niſi multo Procerum ac Panhormitanorum ſanguine reſtingui potuerint, immortalibus Siculorum odijs excipimur, in crimen vocamur, quod earum calamitatum expertes fuerimus, quod ciuitatem noſtram, quod ſubiecta oppida in fide continuerimus, quod, cum tota Sicilia vltricibus armis Hugonem, alioqui rapaciſſimum hominem, profugum egiſſet, nos ſoli tuendum ornandumq; ſuſceperimus, quod non ſocietate, & comunione criminum facinoroſorum, ad perduelliũ cauſam factionemq; adiuuerimus.

Libet hoc loco exclamare, & vel de infeliciſſimo vrbis noſtræ fato liberrima voce, ſed vera conqueri, vel te, Sancta Nemeſis, te iuſtiſſimam pœnarum ac præmiorum præſidem compellare, te, ſi fas, ſi æquum poſtulo, tui muneris admonere. nam ſi hæc, de quibus appellamur, flagitia, ſi ſcelera ſunt, cur non vltricibus flammis, aut ferro in maioribus noſtris expiata? cur non ad poſteritatis memoriam ſupplicia in exemplum producta? at ſi pij, ſi innoxij, ſi fortes, fideleſque, cur odio excipimur? cur aqua atque igne, cur ipſa pene aeris communione prohibemur? ſin illi no-

centes, impij, perduelles, cur ad clauum reipublicæ ſedent? cur omnium prædicatione in cœlum feruntur? cur adeo indulgentis fortunæ ſinu educati, vt faſtuoſo felicitatis cognomine vel de Fortuna ipſa triumphaſſe videantur. An quia, vt in veteri prouerbio eſt, nihil minus expedit, quam bene agrum colere? an quia ſimul & miſertum eſt, & gratia interijt. Niſi forte quiſpiam ea ratione iſta excuſauerit, quod in ijs tumultibus ſolos virilis ſexus homines in furorem, in ſcelus abijſſe, hiſtoriæ prædicant. Panhormitanas vero fœminas nullius flagitij compertas, nihil omnino inepte egiſſe, aut contra maieſtatem. quandoque etiam * illuſtris in principem animi, & fidei exemplo, coniugum rebelliones Regibus prodidiſſe. ita harum rerũ gratia non amari, non coli, non ſuſpici, ſine ſumma iniquitate non poſſe.

*Fazel.l.9. dec.2.c.3.

Sed iam in viam redeo. nam hiſce initijs exortam Procerum ſimultatem, & ad poſteros, iure veluti ſucceſſionis, cum reliqua hæreditate tranſmiſſam, longaque annorum ſerie confirmatam, illud mirificè auxit, quod cum Terræ nouæ Marchio (qui omnes ferè Siculorum principum familias conſanguinitate attingit) magnus Siciliæ Admiralius (liceat patrio vocabulo vti) Meſſanæ quoque, vt & in reliquis Siciliæ oppidis, eo nomine ius dicere, &, quæ eius muneris ſunt, obire vellet; contra vero Meſſanenſes eius generis controuerſias neutiquam ad Admiralium, ſed ad certos ſtatoſque vrbis magiſtratus pertinere contenderent, quos maris Conſules veteres dixere, cum de ea quæſtione ex bono & æquo dirimenda tractaretur, exacerbatis vtrinque odijs, tam atrox ſeditio plebis exorta eſt, vt Marchio ſatius duxerit, fuga ſibi conſulere, eamque ſuſceptam litem ſilentio perpetuo tranſmittere. Sed non tamen ita ille, aut eius poſteri odiorum, aut iniuriæ obliti, quin irarum ſemina per vices in apertum proferant, ac quo iure, quaque iniuria Meſſanenſium res euertere, ſummis ſtudijs contendant. ſcilicet nec minima prudentiæ pars eſt, diſſimulato in præſens dolore, odia in vindictæ occaſionem diſtuliſſe.

Quibus offenſarum cauſis illud quoque addendum. nam quia Siculi eo iure ſunt, vt omnes ferè magiſtratus nonniſi prouincialibus hominibus à Rege mandari poſſint, interque eos poſt vnum Proregem Meſſanenſis Strategus omnium

con-

confeſſione primas habeat, nihil ſibi reliqui faciunt, in id omnia eorum ſtudia Siciliæ Proceres vnicè conuertunt, vt viam ſibi ad magiſtratum illum capeſſendum aperiant, ex quo vno nihil non dignitatis ſperant, cum proximo veluti gradu ad Præſidis Siciliæ munus eſſe videatur. ſed, niſi fallor, non tam illos ambitio, quam certa ſpes ad hæc vota trahit, fore, vt in eo magiſtratu poſitis, non vna pateat rima, qua iura immunitateſque Meſſanenſium peſſundatum, euerſumque eant. Eo factum eſt, vt noſtri penitus introſpectis eorum animis, quos multis exemplis, quæ proferre longum eſſet, infeſtiſſimos ſenſere, domeſticorum hoſtium inſidias nulla non ratione effugere conati ſint. nam eum, qui palam aduerſarius; facilè cauendo vitare poſſis; quæ vero in ſimulatione offitij, aut neceſſitudinis nomine inſidiæ latent, prius etiam opprimunt, quam perſpicere, atque explorare poſſis. Porrectis igitur optimo Principi libellis illud vnum impetrare, ſed fruſtra, offitijs omnibus contendere, vti externi tantum homines, Hiſpani, Itali ampliſſimo hoc magiſtratu Meſſanæ fungerentur. id quod Siculorũ animos alte pupugit, quod Meſſanenſium Studia, votaque eo ferantur, vt vnum hunc ſpectatiſſimæ dignitatis gradum Siculæ nobilitati inuideant, latiſſimumque ad honores campum ijs intercludant.

Peculiares inimicitiarum cauſas hactenus enarraui, quas Siciliæ Principes iuſtiſſimè, vt ipſis videtur, in nos exercent. ſunt & aliæ, quas cum Panhormitanis communes habent. nam cum diuturno Proregum domicilio Panhormus maximè aucta ſit, eo quoque ſpectatior inter Siculos nobilitas ſedes ſuas tranſtulit, quos proinde non temere Panhormitanos appellauerim.

Sanè Panhormitanorum odia aperta adeo ac manifeſta ſunt, vt cauſæ quidem ſimultatum venire in controuerſiam poſſint, ipſæ vero ſimultates non poſſint. ac mihi certè à natura inimicitias cum Mamertini populi nomine habere & gerere illi videntur: quia enim Taurus Zodiaci orbis ſignum Scorpioni ex diametro opponitur, atque adeo ex Aſtrologorum placitis, contrarijs immiſſis qualitatibus (vt diſciplinæ verbis vtar) inter ſe pugnant; eo fit etiam, vt duo iſti populi ex ipſo cœli aſpectu, orbiumque ac

ſiderum figura, & conuerſionibus hauſiſſe ſimultatum Semina videantur, cum ea poſitione ſint, vt Meſſana Scorpioni, Tauro Panhormus ſubeſſe, ab earum rerum peritis exiſtimentur. Quo fortaſſe quiſpiã non abſurde retuleret æmulationem, quæ inter has ciuitates diu ſemperque viguit, ac, niſi fallor, æternũ victura eſt. niſi cui placeat, eius rei cauſas inde petere, quod cum Panhormitani, vt qui ex veteri Phœnicia originem trahunt, Pœnos ſeu Carthaginienſes cognatione attigerint, Meſſanenſes vero cognati, ac fratres populi Romani appellati ſint, neceſſario in contrarias factiones abierint; vt ſicuti Romanos inter & Carthaginienſes fatale quodammodo, atque neceſſarium diſſidium fuit, ita & conſanguineę vtriuſque vrbis gentes eadem neceſſitudine tenerentur. Inde nimirum illa ſunt, quod Panhormitani Carthaginienſium, Gothorum, Sarracenorum partibus fouendis perpetuo factioſeque ſtuduerint; contra Meſſanenſes vni populo Romano ſe totos addixerint, aut ijs qui collapſa iam pridem republica eius imaginem ac nomen præ ſe tulere. Sed non tantum mihi otij eſt, vt ſingula earum rerum exempla exequar.

Illud conſtat adeo inteſtino atque atroci in nos odio Panhormitanos certare, vt non pauci Senatorij ordinis reperti ſint, quos cum deſperata Proregem ſequendi neceſſitas Meſſanam traheret, magiſtratu abire, quam eam vrbem videre, ſatius habuerint; vt ſi qui exteri homines honorum ac dignitatum aucupandorum gratia, relicto veteri domicilio, Panhormitana ciuitate donari velint, non certiori teſtimonio fidem ſuam illis probent, non alio authoramento communicatæ felicitatis beneſitium penſent, quam ſi iuratos, deuotoſque Meſſanenſium hoſtes futuros ſe & ſanctè ſpondeant, & ſanctius exequantur. Et enim vero vix alios reperias æque infenſos ac moleſtos Mamertinorum nomini, atque iſti culices ſunt, è terra ſubito enati, qui cum neque patriam, neque patrem prodere honeſte poſſint, Heroſtrato ſceleſtiores, niſi iniecto in clariſſima noſtræ vrbis trophæa nefario igne, euerſiſque eorum opera Meſſanenſium rebus in nomen aliquod euadere ſe poſſe deſperant.

At non tanti eſſent hominum hæc odia. nam vel regerere in hoſtem immiſſa tela fas eſſet, vel obiectu clypei eludere.

nempe

nempè aut recepta inter homines lege pugnaretur, aut non ſupra humanum morem victor ſæuiret, at verò in Deos vni tantum Gigantes pugnare auſi, & nunc quoque iniectis mõtibus temeritatis inſanæ pœnas leuent, & vix ferendæ iræ pares ſunt. Manerent etiam fatalia Troiæ mœnia, & ne quicquam inundantis Græciæ bellicos impetus fugiſſet, ſi non & irata Deorum numina vetuſtiſſimo imperio longiorem ætatem inuidiſſent. ſed neque Panhormitanos imperij gloriæque auidos hæ artes latent; & odium non minus, quam amor, receſſus omnes prudentiæ ſolertiæque veſtigat. Itaque Proreges quoque ipſos in cauſam trahere, comunibuſque odijs implicare ſtudijs omnibus contendunt, vt veluti Potentioris titulo prædijs affixo legitimum aduerſarium à concertatione deterreant.

Porrò verò illos, nouos nempè homines, & nunc primum magiſtratum ineuntes, & quantumuis induſtrios, prudentes, callidos, Siculo tamen cœlo non aſſuetos, non magnum eſt, ceruorum inſtar, obſeſſis circumquaque itineribus, ſuſpenſis inter arborum ſpatia verſicoloribus pennis, dein rumoribus etiam ſtrepitibuſque ſtudio excitatis, in maculas impellere, ijſdemque animi perturbationibus irretire. Prima illis ars, reipublicæ Siculæ perditas res longa oratione deplorare; miſereri prouinciæ vicem: componendum inclinatum & vix diu durabilem rerum ſtatum. inter hæc Meſſanenſium odia in longum iacere. ſubinde vti ſe contra illorum peruicaciam muniant, ſedulo, ſtudioſeque obteſtari. illos animi impotentes, illos refractarios, contumaces. ſolos reperiri, qui reipublicæ quietem inter turbent, qui Proregem à ſacris otijs, à prouincialium commodis abſtrahant. Tandem quaque oblata occaſione, vel etiam diligentiſſime conquiſita præcipites agere, nec longè exempla petiero. Machedæ Dux primariæ nobilitatis hominem non vulgari inter familiares loco habebat. & quia ſuo beneficio auctum ornatumque eſſe cupiebat, primum quodque tempus oblatum opperiebatur. inter hæc Meſſanenſis Strategus magiſtratu abit. hic præclari Senatores feneſtram ſibi factam gratulati, neſcio quid Proregi in aurem inſuſurrant. tum ille ſtatim dato ad amicum ſuum diplomate Meſſanam cum imperio proficiſci iubet. Iſte quod Meſſanenſium inſtituta

nota perſpectaque haberet, ſedulo Proregem orare, temperarit indulgentiſſimos affectus, moram aliquam negotio faceret, quod vereretur, ne minus grata Mamertinis ea res foret, qui ab Rege ipſo Strategos accipere ſoliti eſſent. ad hæc Prorex, tu interim perge, inquit. cætera mihi curæ erũt. nec me meo ſenſu duci arbitrere. Paret ille imperio, ac noſtri re cognita, cum Proregem, ſed fruſtra, docuiſſent, eam iuriſdictionem non niſi à Rege committi poſſe, ac interceſſione Senatus facta dictiſque Iudicum ſententijs, non iure factum conſtitiſſet, decedere eum de prouincia iuſſere. ſed nec multo poſtea ijſdem artibus, eodemque omninò exemplo Ioannettinum Doriam Cardinalem, cum Præſes Siciliæ eſſet, in eaſdem ſimultates adegere, quo factum eſt, vt vtrumque inſita principibus iuris ſuperbia, quod eorum voluntati obuiam ire auſi, acerbiſſimum Iudicem experti ſumus. Oſſunæ Ducem fauentiſſimum alioqui, &, ſi quis alius, noſtræ ciuitatis amantiſſimum, quæ tandem aliæ cauſæ à nobis abalienauerunt? an non Togati iſti homines auctores fuere indicendi Meſſanæ vectigalis quinquaginta millium aureorum? an non, cum noſtri, qui mos eorum eſt, effuſiori ſane quam Panhormitani liberalitate, quinquaginta millia offerrent, reſpui conditionem ſuaſere? &, niſi mihi creditis, an non ille ipſe, & cum apud Siculos eſſet, & Neapoli frequentius, non ſemel queſtus eſt, Senatus fraude & conſilijs illectum ſe Mamertinas res, nullo eorum merito afflixiſſe? Iam quæ exinde malorum Iliades ſint exortæ, notius eſt, quam vt hoc loco doceam. quam vero aequa, quam iuſta fuerit Meſſanenſium cauſa. Philippus III. humani generis deliciæ ſapientiſſimo veluti præiudicio declarauit, cum minore impenſa ſane quam contentus vectigal abrogari, pluribus quoque ornamentis decretis Meſſanam augeri iuſſit.

Sed audio mihi illud obijci, quaſi verò vos ſoli quieti, ſoli innocentes, ſoli ab iniurijs inferendis alieni? nullam ne aliquando culpam admiſiſtis?, numquam in Proregem peccaſtis? aut non ſui cuique mores fortunam veteri prouerbio fingunt? cur igitur quod veſtra culpa fit, in aliorum inuidiam retorquetis?

Agnoſco hic ego veterem accuſationem. agnoſco, propter ſummam aduerſarij gratiam, non ius par, non eamdem eſſe

agendi

agendi poteſtatem; video cum Proregis acta, reſque geſtæ in iudicium veluti vocentur, non magiſtratum æquum mihi reperiri poſſe. ſed neque tamen aut iuſta ſpe excido, rectefactorum conſcientia ſecurus, aut animum deſpondeo, vorandis iam diu iſtorum calumnijs aſſuetus. Nam ſiquidem publico, & ſolemni gentis concilio ciuitas peccat, an non ò, qui terras, qui maria regitis, ſalua ſunt vobis veſtra iura? an non Iulia lex etiam innoxiam, & peccato vix habilem perduellium ſobolem punit? niſi fortè peccare eum exiſtimatis, qui vindice iniquitatis voce Regem optimum appellet, qui vindicias ſecundum libertatem petat, qui ex iure manum conſertum vos vocet. Atqui Meſſanenſes, ſiquid iubeantur, quod eorum legibus pugnet, ſiquid rogentur, quod immunitatis iura labefactet, ſiquid nouo more inducatur, quod maiores non agnouerint, non ferrorem repetunt, non ſolida vi vadunt, lege agitur, vindiciæ contenduntur, æditi Iudices à Rege dati, quid dari, quid fieri oporteat, de conſilij ſententia pronuntiant. vobis quidem, reciſis licet Conſtantini edicto veterum formulis, manent tamen illæ, Prouoco, & Appello, aut, ſi iſta non placent, Conſultus Princeps iuſtam, aut iniuſtam relationem ſibi videri reſcribet. ſin priuatim Senatores peccant, quid cauſæ eſt, quod innoxia plebs, quod ſpectatiſſimus Patritiorum ordo, quod ſanctiſſimæ Veſtales, quod Deo dicati Sacerdotes noxæ dedantur?, cur vnum ob crimen paucorum vniuerſi ad pœnas vocamur? cur vnius, aut alterius improbum dictum, aut factum veterum rerum benè præclarèque geſtarum memoriæ non donatur? quamquam eo ſæculo viuimus, ea morum corruptela, ea animorum ſuperbia, plus quam Campana ſumus, vt ſi vel ſyllaba excideris à concepta compellandi formula, ſi liberius paulo, aut in vtrumuis procliue verbum vſurpaueris, ſi non ſeruili metu ex faſtidientis Prætoris nutu pependeris, iam præſto ſunt ſecures, iam exilia decernuntur, iam magiſtratu abdicantur, vt non vulgare ac ſpernendum piaculum admiſiſſe, non hominem, ſed diuinam numinis maieſtatem læſiſſe videare. ſed nimirum hæc, aliaque his non minus fuſilia in Senatores comminiſcimur, verioreſque ſimultatum cauſas hoc velamento obducimus. pudet, pigetque illa in apertum proferre, quam ſæpiſſime ac-

cidat, quam frequenter ipſi meminerimus, quod rogati Se-natores extraordinaria munera decernere illiberaliter re-cuſarunt, quod oblatam ab Palatinis curandi aduehendique Meſſanam frumenti conditionem, veluti illis quæſtuoſiſſi-mam ſuſpicioſe reiecerint, Deorum iras incurri. ridendum illud quoque, an lachrymis omnium excipiendum, repertos eſſe, qui oblata à ſeuiris quam honeſtiſſima dona, cum vel officij gratia, vel abſtinentiæ ſimulatione, ſe honore con-tentos, impenſam remittere dixiſſent, ægerrime tulerint, quod non illa eadem, perpoſticum in Prætoriam domum re-uerti iuſſerint. hinc illæ lachrymæ, hinc ingenua & Chriſtia-no Magiſtratu digniſſima vox, ea ſolum abſe petere Mamer-tini auderent, quæ Turcæ, quæ Barbaro homini ſine ſummo ſcelere negari non poſſint.

Fontem alterum conuerſionis rerum Meſſanenſium iam nunc aperiri operæ pretium eſt, Auaritiam. eo quidem no-centius odio malum, quod hoc quantumuis atrox & capita-le, exſatiari tamen aliquo vindictæ genere poſſit, aut etiam obſequijs officiorumque humilitate expugnari; illam neque iniectis Craſſi opibus extinguere, neque orbis pene totius poſſeſſione explere valeas.

Ac ſanè quidem cum ad ampliſſimum Senatus Siciliæ or-dinem nulli ferè pateat acceſſus, extra quam ijs, quos diu-turnum Panhormitanorum domicilium, Aulæ, ac Procerum ſeruitus, an etiam effuſæ opes gratioſos Proregi fuerint, in-de etiam fit, vt peregrino homini ad honores contendenti, Commutandæ paternæ ſedes ſint, fortunæque eius omnes Panhormum transferendæ. Itaque vel occupari pecuniam in optimis nominibus, vel vrbanis, ſiuè ruſticis emendis prædijs, aut annuis penſionibus comparandis inſumi operæ pretium eſt. Iam verò ſicuti ob frequentiſſimos tota Sicilia in eam ciuitatem litium cauſa hominum concurſus, vtriuſ-que generis poſſeſſionum fructus magna pretia ſuſcepere, pecuniæ quoque ipſæ multum vſurarum afferunt, ita pluri-mum de quæſtu minueretur, viliorique res coſtarent, ſi Pro-rex alio tranſlatis ſedibus vrbem redderet infrequentiorem. Iam quæ exinde ſequerentur rerum, patrimoniorumque cõ-uerſiones, facilè cuique compertum eſſe poteſt. Quid ni igi-tur Panhormitani neruos omnes intendant, ſummis opibus

nitantur,

ſtantur, ne ampliſſimis hiſce commodis carere neceſſariò compellantur. ſed ipſorum quoque Procerum plurimum intereſt Proregem Meſſana longè abeſſe, quippe qui certo nouerint, ſe ex Strategi munere, quod alioqui quæſtuoſiſſimum eſſe ſolet, multò minora compendia ſperare poſſe, ſi in exercenda iuriſdictione, magnæ, quam appellant, Curiæ magiſtratus ſocios adiutoreſque habeant.

Quæ priuata Procerum, & Panhormitanorum commoda, & ſi magnam per ſe cum habeant ad illigandos Proregum animos, prudentiſſimi tamen homines non ſatis habent, vnis aut alteris conſilijs cœptam expugnationem vrgere, ſed perſæpe etiam ijs machinis vtuntur, quibus ſolis, ſi qua admoueri poſſint, nullam eſſe tam firmiſſimam arcem, nullum adeò munitum propugnaculum, quod non breui abſe expugnari poſſit, Philippum Macedoniæ Regem non minus animoſe, quam vere, ſolitum dicere accepimus. Nam, vti callidum eſt, ac verſatile Adulatorum ingenium, mille compendiorum argumenta proferunt, quibus priuata Proregum res in immenſum Panhormi augeri poſſit, quod ipſi lucrum, qua pollente loquentia, facile, ampliſſimum, &, quod omnium maximè optandum, honeſtum in primis pollicentur.

Primum cum earum rerum, quibus abundamus, in alienas regiones exportatio non modo incommoda non ſit, ſed & prouinciæ, & aratoribus, & Principis fiſco fructuoſa, ſi tempori, ſi pro annonæ vbertatis & copiæ proportione fiat; frugum euectionem, permittendam iſti ſuadent, pretiumque in ſingula frumenti medimna certum ſtatuunt ærario Principis inferēdum, ſed ita vt per pſeudotyrum auctius & quæſtuoſius compendium Proregi cedat. interdum etiam monent priuſquam permiſſæ euectionis fama in vulgus exeat, per ſubmiſſos homines frumenti aut alterius generis frugum coemptionem ampliſſimam faciat, quarum cum viliſſima pretia ſint, ſiuè ob anni fertilitatem, ſiuè, vti plerumque accidit, ob pecuniæ inopiam, poſt mutato per nouum edictum fori ſtatu ex ſumma rerum vilitate magna caritas repentè conſequatur neceſſe eſt, & non niſi magno à mercatoribus comparari poſsint. Ita quidem illi ſuadent. an ſemper etiam perſuadeant, vix ſtatuere auxim. cum ſciam vulgus imperitum ea dicendi libertate eſſe, vt quæque Rectorum

dicta

dicta factaque in deterius trahat. pleraque etiam effingat, quæ ne in mentem quidem venerint. at illud etiam ſcio perdifficile hoc præſertim ſæculo eſſe, & pęnè ſupra mortalitatem in magna licentia cupiditatis modum tenere. At quanta vtilitas quam ampliſsimus quæſtus ille eſt, quem Palatini homines (pudet me de Prætore ipſo tam vilia exequi, pudet operiari ſpectata nobilitate viros, illuſtres animas, Deorum genus ad ſordida iſta lucra deſcendere. itaque Palatinorum nomen perſonæ loco ſupponam.) ex eadem ipſa Panhormitana ciuitate cotradunt. nam cum Panhormitani veteri quodam ac recepto eius vrbis more magnam copioſamque frugum annonam procurare ſoleant frumenti, olei, carnium, ſalſamentorum, huic quoque domeſticæ negotiationi Palatini ſe totos ſumma cum laude implicant. ſcilicet cum non tenuis ſit mercatura, ſed magna & copioſa, multa vndique apportans, non vilis ſordidaque, ſed honeſta in primis, & non admodum vituperanda ipſis videtur. quamuis eo interdum modeſtiores aliqui exiſtimari debent, quod non luce ac palam id audeant, ſed ſubiectis negotiatorum perſonis id genus nundinationes exercent. Iam verò cum ampliſsimum per ſe lucrum afferre poſsit tam magnæ vrbis annonæ procuratio, quantum illud erit, quod qui hæc curat Panhormitanus Prætor conſtituta earum rerum auctione & pretijs palam exquiſitis, licitatores, qua metu, qua gratia obiecta, ab emptione deterret, &, ſi quis pergere audeant, neque ijs abdicit, & cum Palatinis multo iniquiori, quam cum alijs conditione decidit. ſiuè id ſit, quod ingenita quadam à natura vi haud multum de plebis infimæ commodis benemereri ſtudent, ſiuè rei conficiendæ procliuitas eos animet, quod in vnius Prætoris vrbani manu ſit, tota huiuſce rei adminiſtratio, ſeu tandem quod illud vnicè ambiunt, vt qua iure, quaque iniuria Proregum animos ſibi deuinciant, officijſque demereantur. nam cum ad ſupremum eius vrbis magiſtratum non niſi ille à Rege deligatur, quem ſuo veluti præiudicio vnum ex pluribus diligentiſsime Prorex commendarit, Senatores verò non publicis comitijs, non populi ſuffragio, ſed libero Proregis arbitrio creari ſoleant, nullū nō adulationis genus exequantur, nihil intentatū relinquūt, quoad dignitates illas aditū ſibi inſecuturos annos aperiāt.

Huſce

Hiſce tam multis priuati compendij artibus ij quoque uberrimi quæſtus adnumerari debent, qui ex effuſis Panhormitani Senatus largitionibus veniunt. nam mihi quidem iſti videntur hanc eorum reipublicæ adminiſtrandæ formam, quam hoc potiſsimum tempore ſequuntur, à veteribus Mamertinis eſſe mutuati, & non vulgaris ſapientiæ eſt ex ipſis quoque inimicorum artibus ciuilis doctrinæ præcepta ſuffurari. Enimuerò vt illi C. Verre Siciliæ Prætore, quo meliori conditione eſſent, quam reliqui prouinciales, tam multa apud illum pretia atque munera collocarunt, vt veriſsime dictum ſit, Verre Prætor ita vixiſſe Mamertinos, vt populo Romano nihil omninò darent, Verri nihil denegarent; ita Panhormitanis non alia breuior faciliorque ad principatum viſa eſt via, & ad amplificandum, exaugendumque vrbis ſtatum, quam ſi quicquid munerum largitionum in Regem optimum profundi ſuo iure deberet, ad Proregem deriuetur. adeò neque penſi quicquam habent, an ob reſarciendas iſtiuſmodi profuſiones, vel aucto ferè in trientem iuſto venalium rerum pretio, vel pondere imminuto, vrbanæ multitudini incommodent, vel grauiſsimo aere alieno contracto rempublicam opprimant. Planiſsime conſtat immenſum hunc largitionum modum non minus centum millibus ſingulis annis Panhormitanis conſtare.

An non igitur vel me tacente res ipſa per ſe loquitur, an non cuique obuium eſſe poteſt, cui tandem accepto ferendum ſit, quod Siciliæ Proreges Panhormitano cœlo tantopere delectentur, vt ardentiſsimos Auſtri furentis æſtus, pro leniſsima ac genitali Fauonij aura ſuſcipiant: illætabilem maris graueolentis iram, pro Baianis delicijs exoſculentur: villarum aliquam amenitatem beatiſsimis Alcinoi hortis præferendam putent. Eademque ratione planiſsimum fit, cur inuiti quandoque & veluti reluctantes Meſſanam trahãtur. quia enim eo ingenio Mamertini ſunt, vt effuſiſsimi in Principem videri atque eſſe velint, Proreges verò, ſicuti par eſt, officiosè colant, in hos ita munifici ac liberales eſſe conſueuere, vt oblata munera non beneficium ſed officium teſtentur. abſurdum enim exiſtimant, pecuniam, quam ſi Regi largiare, bene optimeque opera poſita in ſingulare reipublicæ commodum verteretur, priuato vnius aut alterius fa-

miliæ bono cedere. ac præterea, cum noſtræ ciuitatis admi-
niſtratio annuis magiſtratibus permittatur, Senatoreſque
populus maxima cura eos deligat, quibus maximam ſuarum rerum fidem habere poſſit, & propter amplitudinem dignitatis hic magiſtratus ſumma ambitione ciuium contendatur, inde fit, vt qui eos honores conſecuti ſunt, in id ſedulo incumbant, ne qua ſuſpicio ad populum manare poſſit, ſe in adminiſtranda republica cuiuſquam aut metu aut gratia in tranſuerſum ferri. quod ſi in hoc quoque populus negligentior eſſet, aut etiam conniueret; iidem honorum competitores eos in officio continent, iniectoque periculi aut infamiæ metu in viam reuocant.

Explicaui hactenus potiſſimas ac primarias cauſas, quibus Panhormitanæ vrbi Proreges illigantur, Odium & Auaritiam, de hac lubrica ſcilicet tractatione, in qua procliuis fit ad peccandum via, non tam multa dixi, quin & plura veriſſime dici poſſint. ſed illi viderint, qui medicinam morbo facere aut poſſunt aut debent. mihi certè non furioſa obtrectandi libido, non referendæ offenſæ ſtudium, ſed iuſtiſſimus neglectæ, & tantum non euerſæ patriæ dolor hæc pauca expreſſerit.

Sed neque tamen ignoro, alias atque alias ab Panhormitanis cauſas effingi. abſit verò, vt Senatorij ordinis viros, florem populi delibatum, prima illa ciuilis ſapientiæ rudimenta ignorare exiſtimemus, quæ veris certiſque conſiliorum euentuumque cauſis ſuppreſſis, commentitios titulos ad pompam ornatumque prætendi iubent. Sic autem audio
» illos raciocinari. Primum Panhormitanæ vrbis ſitum vni-
» uerſę Sicilię ciuitatibus mirum in modum accommodum.
» Ad hæc laudant leniſſimos natura & conſuetudine Panhor-
» mitanorum mores. contra verò truces & efferos impoten-
» teſque Mamertinorum animos auerſantur. Addunt maximi
» faciendum florentiſsimæ maximæque ciuitatis caſum atque
» iacturam. cum enim, inquiunt, eo terrarum poſita ſit, vt
» niſi diuturna Proregum habitatione frequentior reddatur,
» decreſcat in dies neceſſe ſit, multamque illi pereat de vete-
» ri ſplendore; Meſſana verò his etiam commodis deſtituta,
» non modo conſiſtere ſe ipſa poſsit ob frequentiſsimas mer-
» catorum turbas eo negotiorum cauſa confluentes, ſed ma-

gna

gna quoque incrementa capiat, quis erit ita ſtupidus aut amens, quin nihil mutandum in recepta iſta Politia cenſeat? Tandem illa quoque conſiderant, quantam imminutionem ſentiet ærarium Regium, quantam publica vectigalia, quam vili venibunt reipublicæ reditus, ſi alio Proregi commigrandum ſit?

Sed enim commentitiæ iſtæ, atque ad veritatis ſpeciem adumbratæ rationes, haud vereor, quin apud eos ſolos fidem inuenturæ ſint, qui toti à Panhormitanis pendent. nam ſi ſerio ſolideque excutiantur, caſſæ nucis loco erunt. Nam quod de portorijs diſſerunt, non eo inficias, hoc quidem tempore auctiora vectigalia Panhormo exigi, quam ea ſint, quæ Meſſana veniunt; vti illud quoque veriſſime dictum, plurimum imminuendas ærarij rationes; at cur illud tacent, cur ſilentio tranſmittunt, quantum Panhormi fiſco decreuerit, id duplo maius atque auctius Meſſanæ rependi poſſe? cum enim ampliſſimi commodiſſimique portus beneficio ex omnibus ferè Chriſtiani orbis regionibus mercatorum concurſus in eam vrbem fiant, quanta portorio Meſſanenſi fieret acceſſio, quantus honeſtiſſimi ac ſplendidiſſimi negotiatorum ordinis prouentus, quæ mercium copia, quæ pecuniæ vilitas, ſi præſenti Proregis authoritate exteri homines à priuatorum iniurijs, à magiſtratuum calumnijs vindicarentur.

Cogor hoc loco (nam cur diſſimulem) in noſtros ipſorum mores ſtilum vertere, liberaque voce inſignem aliquorum improbitatem caſtigare. iam enim eo rediere res, vt cum ex alto nauis in portum appellitur, quamlibet exiguo quis magiſtratu fungatur, hæreditatem ſibi veniſſe arbitretur, ſcilicet non defutura ſunt argumenta, quibus optimos homines fortunis ſuis exuant, per vim, per metum, per ſcelus optima quæque auferant. vt non tam Scylla aut Charibdis, quam portentoſæ iſtæ voragines metuendæ exteris ſint, quas ne totis quidem immiſſis nauibus exſatiare poſſis. Sed nimirum hæc non tam aut Mamertini cœli, aut hominum vitia ſunt, quam ſupremorum Siciliæ magiſtratuum. quotus quiſque enim tandem eſt, qui, impunitate peccandi permiſſa, non ſua ſponte in ſcelus abeat? qui, ſi vindices ad miſſorum pœnæ tollantur, velit eſſe iuſtus aut continens? non igi-

cur illorum hoc eſſe proprium facinus cenſuerim, ſed eorum quoque, qui cum iure ſuo poſſint has furioſorum hominum cupiditates reprimere, ſuo ipſi exemplo, parte prædæ communicata, audentiores in poſterum reddunt. Iam ſi tot iſtæ rapinæ, direptiones, iniuriæ, quæ alioqui quoſlibet negotiatorum, vtpotè quietorum hominum, conuentus diſſoluere per ſe ipſæ poſſent, non tanti ſunt, vt non mutuis hiſce commercijs impenſe augeatur vrbs, magnæque quotidie acceſſiones fiant; quis non iure exiſtimauerit, ſi Proregis quoque voluntas, authoritaſque ad ornatum accederet, multo maxima incrementa ſuſcepturam, ac breuī in magnam vrbem coalituram? cum verò hodieque Meſſanenſe portorium magno à publicanis redimatur, ampliſſimoſque regijs rationibus fructus pariat, quantas adaucta ciuitate, repreſſis improborum conatibus, inuitatis per iudiciorum æquitatem externis nationibus, accederet cumulus, quanta inuehendis, euehendiſque mercibus pacis & belli ſubſidia venirent? Quare ſicuti prudentis agricolæ munus eſt, terrarum ingenium intime cognitum perſpectumque habere, & cum alijs aliæ feraciores eſſe ſoleant, diligentiorem cultum ijs adhibere, quas coloni manu deſtitutas licet, vberes tamen, & natura ac ſua ſponte pinguiſſimas deprehenderit; contra verò dementis & inſani eſſet, generoſa agri parte neglecta, exiliori glebæ excolendæ ſe totum dare, eòque ſtudium omne conuertere, vt prouentum aliquem faciat: ita turpiſſime in Politicas leges peccaſſe eos exiſtimo, qui tot annorum operam, tot ſumptus Panhormitanæ vrbi adaugendæ impenderint, cum fructuoſius & magno cum Regis commodo, tum reipublicæ Chriſtianæ vtilitate Meſſanæ poni potuiſſent.

„ At enim, inquiunt, magno vendi Panhormi poſſe frugum
„ euehendarum facultatem. non idem Meſſanæ futurum, ſiuè
„ id ſit, quod frequentiſſimus eſt in ea ciuitate mercatorum
„ conuentus, qui vnam frumenti emendi, vendendique nego-
„ tiationem exercent, ſiuè quia principes rei frumentariæ agri
„ Panhormo proximiores ſunt, emporia quoque ipſa, vnde
„ euectiones fiunt, non multum ab ea ciuitate recedunt, ſeu
„ tandem, quia ex Hiſpanijs, ex Balearibus inſulis, ex Gallia,
„ Liguria, Neapolitano regno longior ac diuturnior eſt Meſ-

ſanam nauigatio, quam ſi recta Panhormum ſit traijciendum. ita fieri, vt Panhormi facilius Regis Quæſtores, quorum ea curatio eſt, annonæ vbertate cognita, & arationum prouentu, iuſta exportandis frugibus pretia ſtatuere poſſint, & nec temere ſentiant, quicumque in Sicula politia vſum aliquem habent, niſi Panhormi vix poſſe rem frumentariam ſolide cognoſci, atque è republica adminiſtrari. Porro verò, addunt, nec aliam ob cauſam Portuum magiſtrum, quem patrio vocabulo Portulanum appellant, cuius induſtria potiſſimum tota hæc frumenti exportandi negotiatio tranſigitur, cum ſubiecta familia Panhormi perpetuo eſſe; neque ei licere pedem ex ea ciuitate efferre, etiam ſi maximè Prorex vel prouinciam luſtret, vel alio in loco forum agat.

Vide quam iſtos in tranſuerſum agat animi perturbatio, vt, ne ſi velint quidem, rectam diſſerendi rationem & caput videant. nam, niſi me mercatorum diſciplina fallit, in eo poſita eſt iuſta negotiationis ſumma, vt ne ita quis negligens ſit, quin ſciat, quæ in externis prouincijs commeatuum caritas, quæ vilitas ſit, aut breui timeatur. Iam verò non diffiteri audeam, breuiorem eſſe ex Hiſpanijs, Gallijs, Liguribus appulſum, ſi mari Panhormum traijciendum ſit. at qui publicum curſum, quo orbis vniuerſi commercia tranſiguntur, quo huc illuc litteræ commeant, non niſi terra inſtitutum video, ac vix ferè vnquam maritimæ nauigationis periculo paulo grauiorum rerum nuncias epiſtolas committi. Sed neque ipſi Proreges quicquam de neganda aut permittenda exportatione vnquam decernunt, niſi certis ac frequentioribus litteris de externarum prouinciarum ſtatu ac rationibus doceantur, quo conſequitur certius hæc atque etiam citius Meſſanæ cognoſci poſſe, cum ad nos primum rerum toto orbe geſtarum nuncij perferantur. Deinde illud quoque cognoſcat neceſſe eſt, quis anni prouentus fuerit in prouincia, quis hornotini, quis veteris frumenti modus. quod ſi id quoque Panhormi expeditius haberi poſſe contendant, quaſi viciniores ei ciuitati ſint Siculæ arationes, præclare mihi quidem cum republicà agi videtur, ſi ſapientiſſimi homines tenuiſſimum hunc quæſticulum magno in lucro ponant. prorſus quaſi multum interſit ad eas res co-

gnoſcendas, Panhormi ne ſit, an Meſſanæ Senatus Regius? quin profectò pudere eos deberet, ea ſe ignauia inertiaque eſſe confiteri, vt, niſi Panhormi torpeant, Sicularum rerum ſcientiam aſſequi ſe poſſe deſperent.

Nec quod id mercaturæ genus infrequens Meſſanæ ſit, loci vitium eſt, ſed quia cum ex Senatus Regis voluntate prorſus pendeat, penes quem & permittendæ euectionis & pretij ſtatuendi auctoritas eſt, eo fit, vt qui ei negotio operam nauant, Senatum ſequi neceſſario cogantur, quo pro re nata pro vario annonæ euentu aut ſpe pecuniam quam optimis nominibus collocent. Quod ſi ad exempla recurrendum ſit, notiſſimum eſt, cum Vmbriatici Marchio Siciliæ Præſidem Meſſanæ ageret, id genus facultates exportandi frumenti, quas vulgo Tractas dicimus, octo ferè aureis vix vnquam audito ante id tempus pretio veniſſe. & ne veteribus immoremur, nunc quoque palam eſt, Sereniſſimum Principem Philibertum frequentiſſimis mercatorum precibus pulſatum, duodenos in ſingulas tractas reieciſſe, quod vereretur, ne laxata fibula, permiſſiſque euectionibus, prouinciæ ſalutem in diſcrimen vocaret. non igitur Panhormi ſolum, ſed & Meſſanæ quoque magno cum ærarij Regij lucro conſtitui huiuſmodi rerum auctiones poſſunt.

Ridendum illud verò quod opinantur, portuum Magiſtrum ita Panhormitanæ vrbi affixum, vt niſi cum cœlo ſuo moueri non poſſit. habet ſcilicet ea ciuitas ſtellas ſuas, quas ſi ad breue aliquod temporis momentum aliorſum agere tentes, cœlum, terras, maria omnia miſceant, rerumque vniuerſum ordinem turbent potius, quam vt beatis illis ſedibus delicati homines carere aliquando poſſint. quaſi verò non diſpudere illos debeat, cum perpetua ſui orbis circumactione Sol (ipſiſſimus nempè boni rectoris typus) terras vniuerſas luſtret, & genitali calore foueat; ita delicijs ſuis indulgere, cum publicam magiſtratus perſonam referant, vt negent ſe ad viſendam prouinciam compelli poſſe aut debere.

„ Nec minus abſurda illa, quæ differunt, Panhormitanam
„ vrbem minimo diſtare à celebrioribus quibuſque Siciliæ
„ portorijs. ita factum, vt magiſtratus is, quem Magiſtrum
„ Iuratum appellant, Panhormi hactenus fuerit, nec ſalua re-

publica

publica Panhormo abeſſe poſſit, cum vt Panhormitana vectigalia ſedulo diligenterque curet, tum vt aliarum vrbium portoria, quæ Panhormitanis ferè legibus locantur, ex fide recteque adminiſtrentur. Accedere inſuper, magnam eſſe habendam rationem eius vectigalis, quod decimam & tarenum dicimus. at qui id genus venditiones, vnde vectigal petitur, non niſi Panhormi tranſigi poſſunt, vt & reliqua ferè omnia negotiorum genera, quæ ad Principis patrimonium pertinent.

At vide hic quam multis modis iſti peccent. quam inſulſe diſputent. nam quæ, obſecro, ſunt celebriora hæc Siciliæ portoria, quæ Panhormo proximent. Thermitanum ne, an Agrigentinum, an Mazarienſe, Sauenſe, Lilibočtanum? diſperearn, ni ne ſimul quidem hæc collecta cum Syracuſano aut Catanenſi, Leontino, Milenſi conferri poſſint. Deinde quid cauſæ eſt, quod Panhormo abſcedere prohibeatur Iuratus Magiſter? num ac alijs in oppidis quicquam ei de ſua veteri receptaque dignitate deperit? num ea benignitate cœlum eſt Panhormitanum, vt magiſtratibus auctoritatem, fidem, induſtriam, diligentiam conciliet, quæ identidem, ſi ſit alio migrandum, amiſſuri ſint. Tandem verò ſcio terras omnes non vno ingenio eſſe. & quæ alendis ſegetibus idoneæ ſunt, vinearum culturam reſpuere. alias item eſſe, quæ certi generis arbores nutriant, alias necent. at numquam hactenus me inaudiſſe memini, extare aliquod vſpiam gentium negotiationis genus mūtui, depoſiti, venditi, pignoris, quod niſi certo loco celebrari nequeat; quid igitur prohibet, quo minus ita frequentes eſſe Meſſanæ poſſint, atque Panhormi ſunt, rerum ſoli alienationes, aliaque huiuſmodi commercia, quæ diuturna Proregum mora in ea ciuitate iam diu coaluere?

Iam circa illud alterum, quo Panhormitanæ vrbi conſultum volunt, ne commutata Proregis ſede, in ſolitudinem abeat, nego in ea cauſa nos eſſe, vt id iure timeri poſſit. nego Panhormitanæ ciuitati quicquam de frequentia ciuium, de ſplendore nobilitatis, de ædificiorum magnificentia, detractum iri. nimirum ſunt hæc velamenta ac prætextus, quibus factioſi viri nec dum natas Mamertinorum ſpes in ipſo ortu ſuccidere contendunt. ſunt delicatorum hominum de-

liciæ,

liciæ,qui cum tot annorum ſpacio quærendis obtinendiſquè imperijs, honoribus, emolumentis ſecurè ac negligenter aſſueuerint, ſibi fieri iniuriam queruntur, ſi quid earum rerum ad alios deriuari ſentiant. Ita ne verò ſibi iſti blandiuntur, vt cum totos ferè quinquaginta, & quod excurrit, annos, rerum poſiti ſint, pro libidine prouinciam omnem ſurſum deorſum verſauerint, comitiorum fructum vtilitatemque ad ſe traxerint, ſacerdotia, magiſtratus, dignitates ſuo arbitrio diſtribuerint, iniquo nunc ferant animo, in luctu, in gemitu ſint, quod integro vix anno ijs commodis carendum ſit, quod aliæ ciuitates tantiſper aſpectu Principis recreentur. nam quid facturos fuiſſe exiſtimemus, vt ſe iſti ad Regem, ad Senatum, ad Proceres iactarent, niˉ, quod noſtra ciuitas patienter hactenus tulit, nobiliores quaſque familias, & quæ quantumuis magnæ vrbi ornamento eſſe poterant, euulſis ſedibus alio commigrantes vidiſſent. ſi vacantium ſacerdotiorum fructu alterius cuiuſpiam ciuitatis ſacris ædibus extruendis ornandiſque conſumptos. Nimirum ſapientiſſimi Senatores, qui ſe prouinciæ vniuerſæ ſtudioſos videri volunt, qui nil niſi publica Siciliæ commoda ſpectare præſeferunt, nihil ponti habent, vnam vrbem totius inſulæ ſpolijs locupletari. rectiſſimè factum arbitrantur, vnam Panhormitanam ciuitatem omnium luere ambire, laxari veteres pomœrij terminos, ad nouas vrbes vrbi adiungendas. exhauriri alias, & in ſolitudinem redigi, vt iam raros videas Agrigenti colonos, rariores Catanæ, Mazariæ, Liliboci, cęteriſque olim celebrioribus prouinciæ oppidis, & veriſſimè ille dixerit, qui daptilem eremum Siciliam eſſe, ſcripto quoque prædicauit. quid verò tandem hoc eſt, niſi illud eſt, non vera ſolidaque virtute, ſed ſociorum imbecillitate vnius vrbis potentiam quærere? An non enim, ſi cum hoc rerum ſtatu vetera conferantur, ludos facere Scriptores videbuntur, & fabulis propiora denarrare, cum non multo magnam inſulam ampliſſimos exercitus, claſſes, debellandæ Africæ, continendæ in officio viciniori Italiæ, ciuilibus odijs exercendis ſubminiſtraſſe tradunt. cum centum ferme vrbes ciuium frequentia, mœnium ambitu, theatrorum, ſacrarum ædium, publicorumque operum ſplendore illuſtres contiuiſſe ſcribunt? Intelligunt nimirum prudentes viri, hanc

vnam

vnam patere viam, quo ſpecioſa illa & tot ſtudijs diu quæſita nomina aſſequantur: nempè vt Panhormitanum regnum Sicilia dicatur, Panhormitanus Prorex, Panhormitani, quotquot Siculi cenſemur & ſumus. Hæ optime illi prouinciæ dignitati conſulunt, cum hiſce conatibus, veluti per cuniculos, id vnum contendunt, vt fugientem toto mediterraneo mari Siciliam quærere aliquando cogamur, vt ne ipſi quidem Siculi Heroes, qui vel armorum gloria, vel litterarum ſtudijs inclaruere, Anaxilæ, Dioniſij, Hierones, Gelones, Steſichori, Empedocles, Dicæarchi, Archimedes, & quotquot vnquam fuere illuſtria nomina, genitale ſolum agnoſcere ac reperire poſſint. nec minus Regiæ dignitatis exiſtimationi ſtudent, cum, quaſi pudeat, Siciliæ Regem dici, ſplendidiori titulo Regem Panhormi appellari volunt. ſcilicet ventoſa iſta animalia & gloriarum plena tam impotenter ſuperbiunt indiſſecantibus ſe inuicem duabus vijs, in exornato illo & ſalientibus additis ſpectando (quis neget) quadriuio, in obiecta maris iniurijs inſana ſaxorum mole, in ædium templorum aliquo ſplendore; vt quaſi Siciliam à Gothis aſſeruerint, à Sarracenis vindicauerint, Panhormitanum nomen Siculorum imperium illatis in externas prouincias armis longè lateque protulerint, ciuitatum omnium iura, prærogatiuaſque ſibi arrogent, frequentiam vſurpent, commoda vtilitatemque præripiant, ipſum propè vetuſtiſſimum inſulæ nomen inuideant.

At qui verò ſi, quibus id curæ eſſe debet, veterem ſplendorem Siciliæ reſtituere cogitarent, ſi antiquos colonos in oppidis retinere, ſi nouos in prouinciam accerſere; non tam de figenda Panhormi Præſidis ſede conſilia iniri opus eſſet, quam vt inſulam omnem circumeat, ciuitatum ſtatum reſque publicas componat, populorum cauſas, miſerorum ærumnas in re præſenti coram cognoſcat. Animaduertere etiam deberent, nihil minus publicæ omnium ſaluti conducere, quam vnam Panhormitanam vrbem depreſſis alijs ita amplificari, vt omnium inſtar ſit. perinde enim tum illi peccarent, atque is, qui, contra veteris ſententiæ præſcriptum, ſuas omnes fortunas, ſuum peculium omne naui vni committeret. quid ſi enim vel mutata fide, quòd plus ſemel de ea ciuitate in hiſtorijs legimus, in alterius Principis clientelam

Iam tranſeat? quid ſi vel adhibita vi expugnetur, vel ad deditionem cogatur? quo tandem loco tum Siculæ res erunt? quis vel retinendæ in fide reliquæ prouinciæ modus, vel quæ tam magnæ vrbis recuperandæ ſpes?

Nec eſt, quod vereantur, hoc vno conſilio Panhormitanas res depreſſum iri. vt enim minores plantæ, & nunc primum è terra natæ ſedulam cultoris manum aſſiduè deſiderant, qui & noxias circum herbas euellat, & anni iniurias prohibeat, & infuſo humore alimenta ſuppeditet, poſt verò vbi adultiori ætate firmiores radices ad terram egerint, & liberiore ramorum propagine ſe cœlo extulerint; non iam amplius imbecillæ ætatulæ ſuſtentamenta ita flagitant, vt non ijs carere poſſint; itidem & ciuitates, cum longa Principum cura atque diligentia ad iuſtam magnitudinem adoleuere, ſuis met nixæ præſidijs, ac iam diu receptis opificijs, commercijs, alijſque ducendæ vitæ rationibus confirmatæ conſiſtere per ſe poterunt, ſuumque veterem ſplendorem atque amplitudinem retinere.

Sed eſto alterutrius ciuitatis ſtatus non nihil ſit immutandus, ſtatuamus tandem, quæ nam æquius iuſtiuſque Proregis imperium deſideret. nec dubium eſt, quin iſta in controuerſia, ſi publica commoda attendimus, Mamertini obtinere debeant. Cum enim hi naturæ quadam propenſione ferocius ingenium nacti ſint, quo fortè Plutarchus reſpexit, cum quaſi à Marte Martiales ſeu Mamertinos dictos ſcribit, hanc quoque ingenitam à natura vim illud maximè auget, quod proximioris Italiæ vicinitas, breuiſſimo freti traiectu, facinoroſis hominibus cuiuſuis ſceleris impunitatem promittit. ſed neque id ita proprium huius cœli eſt, vt non alijs itidem regionibus ſit commune. nam, quoſcumque limitaneos populos obſeruare libeat, haud dubie reperiemus, aſperiori natura eſſe, & vehementiori, quam qui interiorem prouinciam colunt. vt proinde duriori imperio ſint coercendi, comprimenduſque viuidus eorum impetus. Et ſi autem ſuburbana iſta Calabriæ prouincia vni Hiſpaniarum Regi pareat, quia diuiſæ inter ſe diœceſes ſunt, mutuæ reorum remiſſiones inter vtriuſque tractus Rectores non facilè admittuntur. cum paſſim ac temerè cum viri proceres, cum etiam reliqui ciuitatum magiſtratus improbis hominibus, &

à Meſſanenſi Iudice próſcriptis tutiſſima & pęne deſperata perfugia præbere ſoleant. nam cum Strategi auctoritas certis finibus circumſcripta ſit, etiam ſi maxime velit, non niſi precibus officijſque cum externæ iuriſdictionis homine agat neceſſe eſt. quæ ſane incommoda nihil impedimento Proregi eſſe poſſunt, cuius cum ampliſſima ſit poteſtas, & pro eo, qui inter vtriuſque Regni Proreges eſt, in rempublicam conſenſu, mutuas operas præbeant, neque etiam in aliena prouincia facinoroſi atque improbi homines de ſua ſalute ſecuri ac ſine metu conſiſterent. Porrò verò cum Panhormitani mitiori ingenio ſint (vt enim locorum aſperitas hominum quoque mentes durat, ſic emollit leuitas, & ciuium mores æque ac plantarum ſemina regionibus aſſimilantur) & ſi qui alia mente reperiuntur, nullum in tota Sicilia præſidium ijs pateat, quis non videt iſtos mitiori quoque imperio opus habere.

Quid ſi illud quoque addideris, quod cum veteri ac recepto more Prorex, cum Meſſana abeſt, nullam omnino iuriſdictionis partem obeat, non leges condęre, non iudices dare, non pœnas ſtatuere poteſt, quippe hæc omnia Strategi muneris ſunt, ſuoque iure is ſingula exercet. ac ne quidem Meſſanæ ſolum imperio vti prohibetur, ſed etiam in ſubiecta vrbi ditione, quæ & oppidorum copia, & latitudine regionis, cum ſexaginta paſſuum millibus in longum protendatur, frequentiſſima Siciliæ pars exiſtimatur. proinde accepimus Marcum Antonium Columnam ſapientiſſimum virum non minus acute quam vere dicere ſolitum, tum demum ſe meminiſſe Siciliæ totius Proregem eſſe, cum Meſſanæ forum ageret.

Sed iam ad alia tranſeamus. Laudant iſti in Panhormitanis eximiam morum facilitatem, verſatilem ad obſequia omnia induſtriam, comem officioſamque in externos animi inclinationem, miram in appellandis, ſalutandis, deducendiſque altioris ſubſellij hominibus dexteritatem. contra damnant effera Mamertinorum ingenia, ſubruſticos mores, humanitatis pene omnis expertes, præcipiteſque in extrema omnia conſilia animorum affectus ſcilicet, inquiunt, ſui arbitrij, ſuæ poteſtatis eſſe plus nimio ambiunt, ac vix iam optimi Regis mitiſſimum imperium æquo patiuntur animo,

adeo toti ſibi placent in adumbrata illa reipublicæ forma, qua ſuam ciuitatem regunt. Ac ne quidem Senatorij ordinis hominum ſolum modo hoc vitium eſt, quos potiſſimum publicæ rei cura tangere debuiſſet, ſed vniuerſorum ferè ciuium: vt nullus ſit ſexus, nullus ordo, nulla conditio, quæ non receptas aut etiam vſurpatas patriæ immunitates ac prærogatiuas non modo ad furorem vſque & proteruiam tueatur, ſed de iis etiam proferendis, ac quoquo modo amplificandis cogitet. ita fieri, vt in Proreges refractario præruptoque ingenio ſint, & non ſemel Siculæ reipublicæ cauſam Regiæ dignitatis exiſtimationem in extrema pericula adegerint. Porrò, addunt, imprudentiſſimi conſilij eſſet, amplificata per fori conuentuſque acceſſionem ciuitate, adauctoque ciuium numero, eiuſmodi hominum audaciam alere: timendum quoque eſſe, ne in eo oppido Prorex diu ſit, in quo pro turbidorum hominum multitudine, pro bonorum paucitate (quota enim pars Regius magiſtratus eſt, ſi cum frequentiſſimæ ciuitatis populo conferatur) alieno arbitrio ſeruire compellatur, quos neque Imperij authoritate retinere in officio, neque, etiam ſi multum velit, adhibita vi redigere in ordinem poſſit, contra verò facillimum Præſidi erit, extra periculi aleam poſito, in ſedatiori vrbe iura reddenti, Meſſanenſium, ſeu vniuerſorum, ſeu, quod magis in procliui eſt, ſingulorum impetum frangere, vel datis ad populum edictis, vel ad dicendam cauſam Regij, vt aiunt, ſeruitij prætextu Panhormum venire iuſſis.

Sic quidem illi diſputant, ſic acerbiſſima criminatione Meſſanenſium fidem moreſque perſtringunt, & mirum quantum vel gratia, qua maximè aduerſarij florent domi foriſque, vel veterum ac recentium rerum ignoratione, vel inuidia Mamertinæ immunitatis, hæc de Meſſanenſibus apud omnes illorum prædicatione increbuerit opinio. Nec verò ego negauerim, Panhormitanos, ſeu naturæ ductu ingenioque, ſeu longa ac diuturna Proregum conſuetudine, ad omnem vrbanitatem aulicamque pompam vnice factos. at quid tandem, obſecro, hoc ad rempublicam intereſt? quam magnum eſt hanc eos laudem ferre? ſi tamen dicenda laus eſt, Principum aſſentatores eſſe, & adulatores induſtrios, cuius vitij nomine peſſime apud veteres ſcriptores Siculi audiunt.

Plane vt illos patiar, aulæ diutius aſſuetos, fœminarum imperijs delinitos officioſe agere, grandibuſque & quæſitis è cœlo appellationibus & verborum aucupijs contendere aptius decentiuſque poſſe, nitidiori facie, capillo vnguentis delibuto, calamiſtrata coma, barbula tenuiſsimo glutine compoſita delicatius in publicum prodire, longo ſeruorum aſſe clarumque ordine bene munitos, omnia fœminæ quam viro propiora; nemo tamen non mihi concefſerit, antiquos mores, hoc eſt bonos, ſicubi minimum in Sicilia immutati, apud noſtros retineri. Meſſanenſes veterum inſtitutorum tenaciores, ſerius omnino quam alios corrupti ſæculi vitia ſordeſque recipere. Amicitiæ, hoſpitij, aliarumque neceſsitudinum iura ſanctè inuiolateque colere. ſuam ciuitatem optime regere. ſine fuco, ſine fallacijs, ſine aſſentatione agere. eadem animo ſentire ac loquuntur. Quare vt olim Stratonicum facere dixiſſe narrant, Athenienſibus quidem permittendum eſſe, vt miſteria pompaſque celebrarent, Elienſibus verò ludos edere, quod vtrique hæc pulcherrime facerent, Spartanorum verò eſſe, ſi quid illi ſecus admitterent, ſi quid peccarent, eos corripere; non diſsimili exemplo dicere auſerim, Panhormitanos ludicra illa rectè & ex artis diſciplina obire poſſe, Mamertinos verò non niſi ad ſeria natos eſſe. Enimuerò ſi ſeuerioris politiæ neruos tenere volumus, multum refert ad optimam reipublicæ adminiſtrationem, ita compoſitos eſſe mores ciuitatis, ita ciues in Principem animatos, vt non aulicis iſtis ementitiſque officijs & aſſentationibus, ſed vera ſolidaque virtute & vitæ integritate illius gratiam demereri ſe poſſe, certo ſciant. Illum viciſsim ea æquabilitate eſſe, vt neque Aulicorum gratia tantillum à recto deflectat, neque vrbanitate iſta ſe multum delectari præſeferat, ne alioqui tam nihili pretio arbitrij ſui libertatem, contra ius faſque, contra honeſtatem aut vendere inuitus cogatur, aut vendidiſſe falſo exiſtimetur. Quapropter, vt memet colligam, ſi Mamertini quicquam in vrbanæ iſtius diſciplinæ leges peccant, ſi ab externorum hominum conſuetudine nonnihil abhorrent, nihil tamen ex ruſticitate cita detrimenti reſpublica cupere poteſt, & vt quidam dixit præſtat bonum ciuem eſſe, quam vrbanum & acutum. &, ſi verum fateri liceat; feroces iſti præ-

fracti, & quantumuis ſubruſtici noſtrorum mores illi ipſi ſunt, qui, ne Romanam hiſtoriam attingam, Gothorum, qui Sarracenorum * inſtructiſſimos exercitus debellare, internecione delere, ac tandem tota Sicilia pellere potuerunt. ſubruſtici hi mores Carolum Andegauenſem Siciliæ Regem per Legatos officioſe * monuere, miniſtrorum cupiditates cohiberet, tyrannidem præfectorum extingueret, rempublicam curaret. hæc Meſſanenſium ferocia furentiſſimos eiuſdem Caroli auſus vaſtitatem Siciliæ minitantes ſuis obiectis corporibus fregit. ornatiſſimas claſſes, inſtructos exercitus, quibus Michaeli Conſtantinopolitano Imperatori iam iam imminebat, conſtantia mentis repreſſit, eluſit; hæc Romanorum Pontificum legationes, * ad conciliandos Carolo Siculorum animos adornatas, ſtrictis gladijs excepit. Friderico Iacobi Aragonum & Siciliæ Regis fratri auctor fuit ac princeps capeſſendi regni, quod infami fœdere Iacobus Gallis prodiderat. Geminatas Caroli Claudi Neapolitani Regis claſſes funditus euertit, debellauitque. hæc in celeberrima ad Agathirſum nauali pugna * non tam victa, quam hoſtium multitudine oppreſſa, cæſa nobilitate, euerſa claſſe, Fredericum Regem ingentis mali magnitudine mente deiectum, & iam iam regno ſimul & vita cedere meditantem recreauit, confirmauit, fortique & ingenua voce, in luctuoſiſſima clade ciuitatis, nihil ſe perdidiſſe teſtata eſt. Hæc pro Ludouico, Frederico altero, Petro, vno verbo dixerim omnibus Siciliæ Regibus plus ſanguinis in bello profudit, quam vniuerſæ ſimul Siciliæ ciuitates. plus periculorum, ærumnarum, iacturæ ſubijt in frequentibus ac diuturnis obſidionibus, quam alij precibus vociſque auerſati ſunt. plures occidit hoſtes, naues euertit, quam reliqui prouinciales oculis vſurparint. Quam inſignem & bello fidem & pace prudentiam, tot tantiſque exemplis illuſtrem, numquam refractarij iſti Meſſanenſium mores, vel rebellionis ſcelere, vel ſeditionis næuo deturparunt. neque ego veterum hiſtoriarum auctoritatem hoc loco defugio. ad Fazellum ipſum prouoco, parum licet æquum Scriptorem.

* Fazell. dec.2.lib.5. c.3. & lib. 6 c.2.

* Fazell. dec.2.lib.8. cap.4.

* Fazell. dec.2 lib.9. cap.2.

* Fazell. dec.2.lib 9. cap.3.

At contra Panhormitana lenitas, quæ tam frequenter iſtis in ore eſt, tamque eximie laudatur, vnum proferat be-

ſic geſtæ rei monumentum, vnum facilitatis huiuſce & modeſtiæ teſtimonium prodat, niſi ſi lenitatem cum hoſte ſeruarunt. ſic enim ex veterum hiſtorijs accepimus, numquam magis lenes indulgenteſque Melitæos iſtos catellos fuiſſe, quam cum eis cum hoſte negotium fuit. ſed quale vnquam huic genti cum hoſte negotium, quis dies illos bello decernentes terra marine aliquando vidit? An non vero illuſtre in ſecuturas omnes ætates lenitatis huius exemplum illud fuit, cum * Piſanis vrbem claſſe adgredientibus, Panhormitani egregia quadam & ſupra omnem fortunæ iniuriam animi firmitate paſſi ſunt, ferream catenam, qua portus oſtia claudebantur, perfringi, portum omnem hoſtibus patere, eorum arbitratu per otium ad intimas vſque ciuitatis crepidines nauigari, quinque ipſas mercibus oppletas naues, quæ in anchoris erant, prædam an præmium aſportari. & putarim, rectiſſime vtrumque populum eximiæ virtutis vno hoc exemplo comprobatæ, fortitudinis illos, conſtantiæ & apathiæ iſtos trophæa eodem tempore ſtatuiſſe. ſic enim ſuſpicor templum Virgini Matri ſacrum, cui à catena nomen, ex eo facinore publico ære collato votum dedicatumque eſſe; vt & eius æui rerum Scriptores memorant, ex illius prædæ manubijs primarium vrbis templum Piſis erectum. An non illud quoque * memorabile lenitatis ſpecimen, cum Roberto & Rogerio Panhormum obſidentibus, portam vrbis caſu an ſtudio patentem Normannus quidam eques magno impetu ingreſſus, cuſtode lancea transfoſſo, Panhormitanis vndique accurrentibus, & vt eum interciperent portam ſedulo occludentibus calcaribus ille admotis, frequentiſſimos ciuium cuneos irrumpens, per mediam vrbem, ignotaſque ſibi vias oberrans, tandem per alteram portam ad ſuos illæſus euaſit? Vnum inſigne facinus cum reliquis Siculis auſi ſunt, in patranda Gallorum cæde. ſed ita, vt non deſint in hoc ipſo feritatis exemplo ſummæ lenitatis apertiſſima veſtigia. nam vbi primum velox fama perwebuit, Carolum iam iam arma meditari, iam iam Meſſanæ excidium, ſolitudinemque Siciliæ inferre, vide quam lenes homines, quam indulgentes, bellorum acerbitatem peroſi, funeſtiſſimoſque euentus, per legatos morum vitæque ſanctitate conſpicuos, * infimis precibus Romano Pontifici ſe com-

* *Fazel lib. 7 c. 1.*

* *Fazel. ibidem.*

* *Villan. hiſt. Flor. libr. 7. c. 63.*

Paul. Aem. in Philipp. Pulchro.

commendare, veniam commiſſi criminis petere, &, quo grauior eſſet legatio, ſacra & ſolemnia verba vſurpare, Qui tollis peccata mundi miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi dona nobis pacem. Et, niſi fallor, hoc fuit, quod Petrus Aragonum Rex in ſuſcipiendo Siculorum patrocinio cunctatior exiſtimatus eſt, neque antea in cauſam deſcendit, quam frequenti fama inaudiſſet, Mamertinos plurium iam menſium obſidionem animoſe fortiterque perferre. ſcilicet prudentiſſimus Princeps, cum tam faciles leneſque Panhormitanorum animos eſſet expertus, haud temere credidit regni vires & nominis exiſtimationem fortunæ belli committi debere.

E diuerſo ſi in Principem, ſi in magiſtratus, ſi in amicos audendum aliquid eſt, haud ſane crediderim maiora feritatis, perfidiæ, impietatis exempla fingi poſſe. An non enim ij ipſi ſunt, qui vel aduerſus Principem ipſum infeſta arma ſumpturos ſe gloriati ſunt, * ſi is paulo ſeuerius in Mattheum Bonellum factioſum hominem animaduerteret? An non Guillelmum Regem vinculis comprehendere, * vinctum ad necem depoſcere, ægrè tandem vitam, ac ſpiritum infeliciſſimo principi concedere? An non Stephanum Perticenſem Comitem Guillelmo arctiſſima conſanguinitate iunctum, Siciliæ Cancellarium, ſummum iuris, & æqui vindicem, vi, armiſque oppugnare, * iniecto igne circundare, in Palatina auxilia impetum facere, auſi ſunt? ſcilicet lenitatis huius veſtigia fuere illa, Catalanos omnes tota vrbe quæſitos immaniter * occidere, Claramontanos Regis perduelles amiciſſimis vocibus compellare, eiurata fide Mariæ & Martini Siciliæ Regum, obſidionem, & quoduis aliud pati; quam vt in clientelam redirent. Quid verò illa ſunt recentiora, Lupum Simenium Siciliæ Proregem, niſi promiſſa ſeditionis venia, ab ingreſſu * ciuitatis prohibuiſſe; Iterum Ioanne Paulo pollaſtra factionis principe tam efferè in Hiſpani nominis homines ſæuijſſe, * vt ſupra mille deſiderati ſint. Auorum memoria Proregem fœde, turpiterque vrbe exegiſſe, iterum carceri mancipaſſe, ſummos magiſtratus immaniter trucidatos, turpiter & per ſummam ignominiam tota ciuitate raptatos, cæſos, eiectos, profugos factos eſſe. Et laudamus Panhormitanam facilitatem tropheis

* Fazel. lib. 7. c. 4.
* Fazel. ibidem.
* Fazel. lib. 7. c. 5.
* Fazel. lib. 9. cap. 7.
* Fazel. lib. 9. cap. 9.
* Fazel. lib. 9. c. 10.

trophęis æreque dignam prædicare audemus: Mamertinorum verò ne victoriæ quidem ipſæ plauduntur.

At nimium ſui iuris, ſententiæque Mamertini ſunt; & ſi quando exhauſto ob bellorum calamitates ærario, de indicendo tributo, de conferendis in publicam cauſam pecunijs agitur, ad vetera inſtituta prouocant, mores antiquos, priuilegia obſtendunt. quo apparet prudētiſſimè hactenus Proreges eius vrbis domicilio abſtinuiſſe; quippe abſurdum putarint, Siculos homines, qui in patrijs oppidis tributo, muneribuſque obnoxij, Meſſanam trahi, vbi in poſterum magno Reipublicæ damno liberi, & immunes futuri ſint. Contra nihil tale apud Panhormitanos reperiri, quos ſanè, quam promptiores, paratoſque, & ad eam rem vnicè à natura factos, & firmatos videas. Nec dubium eſt; quin vnam eam ob cauſam Proregum domicilio donandi ſint; præſertim cum hoc quoque commodi accedat ad regias rationes, quod ſi quo caſu, aut belli neceſsitate, aut æris alieni magnitudine profligentur, facillimum Panhormi erit, pecuniam à negotiatoribus ſub vſuris accipere, vel ab ipſamet Panhormitana republica; ſæpiſsimè etiam acciderit, vt Panhormitani ciues priuato nomine, interdum etiam publico datis idoneis cautionibus labentem regij ærarij exiſtimationem ſuſtinuerint. an non igitur æquum eſt, hoc honore eos affici, quos tanta animorum voluntate, tam inſigni in Principem fide, grauiſsimum æris alieni periculum in ſe ſuſcepiſſe conſtat? an non iniurium eſſet, vnicam hanc referendæ gratiæ viam per ſummam improbitatem poſt habere? an non iniquum, & dedecoris plenum eos deſerere, quorum beneficio viuimus, cum ipſi interim noſtra cauſa ſuſcepti æris alieni grauiſsimas vſuras luant?

Qua ſuper re ſi de ſordido illo munificentiæ genere ſit ſermo, quod in Proreges exercetur, non inficias ierim, hoc quidem nomine primas Panhormitanos ferre, neque eis hāc laudem inuiderem. ſic enim exiſtimo, Proregem vnum benè adminiſtratæ prouinciæ fructum ferre; quæſtus verò lucraque omnia prouincialibus permittere debere. At ſi cum Principe agendum ſit, illud ſeriò, ſanctiſsimèque affirmauerim, nimios Meſſanenſes eſſe, & prodigos (ſi tamen nimia dici poteſt, quæuis reipublicæ cauſa facta largitio) vt neque

modum, neque menſuram effuſæ liberalitatis habere videantur: nam cum veterum Regum indulgētia Mamertinos onerum omnium immunes eſſe iuſſerit, vt nec tributis atteri, neque indicto, aut ſuperindicto ſubijci eos liceat; non tamen illi ita rigide, ac ſummo iure agere ſoliti; quin non comiter facillimèque, pro Reipublicæ viribus, pro temporum iniquitate de Rege optimo bene mereri ſtudeant. ſatis conſtat non totis quadraginta ab hinc annis vicies centena millia amplius Maſſanenſium dono regijs rationibus illata eſſe. Enimuerò quid tandem intereſt ad publicam cauſam, ſuo ne iuſſu, ac voluntate Prorex inuitæ, ac reluctanti ciuitati, contra pactas leges, contra iura fœderum, atque immunitatum, vectigal indicat, an ciuium ſponte, liberoque iudicio tantumdem habeat? ac ſapientum quidem ſententia rectiùs faciet, ſuſpitionem omnem auaritiæ, & iniquitatis à ſe amoliri, remque totam arbitrio ciuium permittere. hac enim vna ratione alacrius, ac liberalius in commune conferent, ſi ſuas ſibi prærogatiuas ſeruari ſentient, & identidem alij præclaro hoc continentiæ, & æquitatis exemplo ad de republica bene merendum vehementiùs excitabuntur.

Quo magis mirandum eſt, tam proiecta audacia homines reperiri, tam perfricta fronte, vt cum vtriuſque ciuitatis in Principem officia committenda ſint, potiorem tuam cauſam clamitent, quod creditas Regi pecunias fide tua eſſe iuſſerint, quod mutuas dederint. At cui tandem cordato homini hæc illi perſuadeant; niſi quis ea mentis ſtoliditate ſit, vt melioris notæ eſſe liberalitatem eam contendat, qua quis aliena incommoda mutuo datis pecunijs, aut fide ſua receptis vtcumque fulciat, quam quæ profuſis donationibus omnino reſtringunt. At eſto nihil Mamertini publicè Regi dederint, quanti tandem hoc eſt, Panhormitanos Regis fidem ſecutos eſſe, ſuo periculo illius creditores dimiſiſſe, & de priuatis ciuium arcis, de publica menſa nomina diſſoluiſſe? An non id quoque Mamertini, Catanenſes, Syracuſani, abiectiſſimi quique Siciliæ populi, ſi poſcerentur ſponte alacriterque præſtarent? An non, quas vſuras de tuo Panhormitani numerant, ex regij ærarij rationibus ad libellum præſenti pecunia capiunt. leuis enimuerò eſt mutui gratia, vbi rem tuam bonis nominibus occuparis.

Reli-

Reliquum eſt iam Panhormitanæ ciuitatis ſitum inſpice-
re, quem iſti vnicè accommodatum,& Siculis aditu facilem
prædicant. Adeò vt Normanni Reges non alias ob cauſas in
ea vrbe ſedem poſuiſſe exiſtimentur. nam ſiuè, inquiunt, iti-
neris compendium ſpectare liceat, ſiuè annonæ vilitatem,
ſiuè rerum omnium, quæ in commercium hominum cadunt,
quæ in Sicilia, quæ in exteris prouincijs gignuntur, facilem
expeditamque aduectionem, multo commodior Panhormi-
tana ciuitas, vtpote quæ ob agri fertilitatem, tum ob edifi-
ciorum copiam, atque ſplendorem, ob confluentium multi-
tudinem, ob varia, atque diuerſa opificiorum genera, qui-
bus vrbana plebs occupatur, exteros homines ad ineunda
cum Panhormitanis commercia inuitare, atque alere facil-
lime poteſt. Contra Meſſanenſium vrbs, & loci diſtantia, &
oppidi anguſtijs, & ſoli paupertate, quoſuis etiam eorum
ſtudioſos retrahit; quominus mirum ſi Siculorum omnium
deſideria eò feruntur, idque vnum frequentiſſimis prouincię
poſtulationibus flagitant, vt certa tandem, & immobilis
Proregis ſedes, æquè vt in alijs prouincijs, Panhormi ſta-
tuatur, ne litium, ne negotiorum cauſa huc illuc vagari, &
tanto cum rei familiaris damno, temporis, vitæque iactura,
toti in itineribus, in cauponis eſſe perpetuo cogantur; quid
quod in conuentu Procerum atque ciuitatum habito anno
156. cum huic vni incommodo omnes regni ordines mederi
vellent, ac potiorem publicæ totius prouinciæ vtilitatis ra-
tionem haberent, quam priuati cuiuſque ciuitatis commo-
di, de comuni, cum procerum, tum oppidorum conſenſu ſta-
tuere, nouam rationem iniri debere magiſtratuum crean-
dorum, eiuſque rei arbitrium integrum Regi adeò permit-
tendum, vt nulla contraria Regni lege, conſtitutione, pri-
uilegio, iuramento, teneretur, quominus pro animi tui ſen-
tentia rem omnem poſſet componere; quas ob res impetrā-
das nouum quoque vectigal centum millium aureorum in-
dictum eſt, quod molæ appellant, & pleraque alia, quæ ho-
dieque à publicanis exiguntur. An non verò præſcriptis
poſtmodum à Rege optimo magiſtratuum forma, numero,
atque ordine, ex Siculorum placito reſpublica adminiſtrari
cœpta eſt? An non promulgata pridie nonas Nouembris
1569. noua iſta magiſtratuum gerendorum ratione, cum

 non

non multo poſt Piſcariæ Marchioni, qui tum Proregem age-
bat, Panhormo certas ob cauſas diſcedendum eſſet, teſtatus
eſt, publiciſque tabulis excipi voluit, ſe, quia prouincia in
Comitijs hoc poſtulaſſet, idque etiam gratum Regi futurum
ſciret, vt Proregis arbitrij eſſet, vtro in loco tribunal iuri
dicendo præeſſe vellet, iubere Panhormi eſſe, quod ex Rei-
publicæ vſu id fore cenſeret? an non idipſum poſtea Terræ-
nouæ Dux, Marcus Antonius Columna factitarunt, ſcripto-
que profeſſi ſunt, eam eſſe Catholici Regis mentem, ac vo-
luntatem? non igitur in diligenda Proregis ſede, priuato
Meſſanenſium, ſed publico Siciliæ commodo ſeruiendum.
Iniurium verò eſſet, tanta cum prouincialium iactura, & ve-
xatione vni vrbi adaugendæ, atque amplificandæ ſtudere.
Alioqui ſcilicet, cur non etiam de Catanenſi ciuitate repa-
randa cogitamus, quæ tertia Regni ſoror eſt, cùr non etiam
Syracuſas, & veteris dignitatis recordatione, & ampliſſimi
portus beneficio maxime nobiles, cur non Drepanum portu
quoque ornatam, & propter breuiſſimum in Africam, & Hi-
ſpanias traiectum ſatis accommodam vrbem, in contentio-
nem vocamus? idemque etiam de alijs Siciliæ ciuitatibus
cenſendum, pro ſe enim quæque certare poſſet, ac ſuo iure
conuentum prouinciæ petere. imo, ſi verum amamus, nullum
Siciliæ oppidum eſt, quod Proregis abſentiam æquiori ani-
mo ferre poſſit, ac debeat, atque Meſſana eſt, quæ & Nea-
politani Regni proximatione, & libero, quem habet in
Orientem excurſu, & tot illis commodis, quibus à Philippo
recenter aucta eſt, lenire impotens, & effrenè hoc Proregis
deſiderium poteſt. Neque illud quidem hoc loco prætereun-
dum, ipſius quoque Mamertinæ vrbis cauſa plurimum in-
tereſſe, ne maiora incrementa capiat. cum enim eo ſitu ſit,
vt proximos ab Occidente montes habeat, ſi paulo profe-
renda mœnia eſſent, haud dubie in ipſis collibus locari opor-
teret; quo quid inconſultius, quid ipſimet ciuitati, atque
adeò Siciliæ vniuerſæ pernicioſius accidere poſſet: ſic enim
bellicæ rei prudentes ſentiunt, idque peritiſſimi quique
comprobant, eò infirmiorem effici vrbis propugnandæ ra-
tionem, quo à planis natura locis oppidum recedit, ſiuè ob
varios tutiſſimoſque viarum aditus, quos montes præbent,
ſeu quia propter locorum anguſtias impeditior ſit ad com-
mouendas

monendas explodendaſque machinas, excurſus, ſeu tandem, quia accliues loci editioribus collibus ita obnoxij, vt tormentis bellicis præſidio nudari, expugnarique facilè poſſint. Ita quidem iſti diſputant.

His vt ordine reſpondeamus illud primo animaduertendum eſt, nihil huc pertinere inſpectionem illam, vtra ciuitas terræ, cœlique temperamento beatior, vtra ædificiorum magnificentia ſplendidior, viarum amplitudine, populi, aut nobilitatis frequentia præſtantior ſit. hæc enim ſi in diſceptationem venirent, non deeſſent ſuæ, cuique propugnationes; ſed cum eo reſpiciat tractatio hæc noſtra, quæ ex ijs ciuitatibus deligenda ſit Proregi ſedes, inſpecto tum Regis, tum prouinciæ commodo, id vnum accuratè inſpiciendum eſt: illæ verò vrbium commiſſiones otioſis relinquendæ. neque verò mihi quiſque iure negauerit, Meſſanam, & veterum ſcriptorum teſtimonio, & ſæculorum omnium confeſſione Siciliæ clauſtra exiſtimatam eſſe; & ſi exempla poſcimus, Pirrum Epirotarum regem, Populum Romanum, Carthaginenſes, Normannos, vno verbo Siculos, Neapolitanos omnes Reges appello; ſcilicet omnium ſenſus fuit, eſtque hactenus, vnam illam ciuitatem Siciliæ imperio vel intercludere, vel aperire viam poſſe. Iam cum Præſes prouinciæ non minorem operam rei militari tractandæ, quam dicendæ iuriſditioni præſtare debeat, ſiue ad ſocios in fide continendos, ſiuè ad tutandum diœceſim ab hoſtium incurſionibus, ſiuè etiam ad proferendos imperij fines, metum, ac terrorem inimicis inferendum, quis non videt, & portus ampliſſimi commoditate, & facili externarum claſſium appulſu, & commeatuum vbertate, militari imperio exercendo Meſſanam aptiorem eſſe?

Neque eſt quod Panhormitani hic mihi obijciant, Garſiam Toletum Siciliæ Proregem, inita Panhormitana mole, capaciſſimoque portu immenſis ſumptibus extructo, feciſſe, ne iam amplius Meſſanenſem ad cogendas Chriſtianas claſſes, ad parandas, inſtruendaſque naues deſideremus. nam ſi ita cenſent, ſi huic vni rei tot opes profudere; mirum ſanè eſt, quod totis quinquaginta annis, qui ab Garſiæ magiſtratu numerantur, nullo vnquam vſui fuerit, vt neque adunandis claſſibus, neque expeditionibus ſuſcipiendis Panhor-

mitanus portus nomen aliquod tulerit. An non verò conferri cum eo poſſe Panhormitani videntur, qui domo ſplendidè, magnificèque ædificata magnis, ac profuſis ſumptibus, & ex artis præſcripto, vt neque conclauia deſideres, non thalamos, non atria, non internum, externumque cultum; prolato tamen, in publicum titulo, & tum penſionis annuæ, tum pretij ſumma indicata, nullum reperiat, qui vel emptam habere eam velit, vel conducto accipere; ſeu quod inſalubri ſub cœlo poſita, ſeu quod ad nocentem aeris plagam obuerſa, ſeu tandem quod infeſto lemurum domicilio infametur.

„ Quod ſi quiſquam contendat, diuiſa in præſens eſſe hæc „ munia inter Proregem, & ſupremum maris Præfectum: „ proinde integrum huic eſſe rem militarem Meſſanæ, quam „ diligentiſſimè curare; videant, obſecro, quibus id curæ eſt, quam multis ad inſtruendam claſſem, ad commeatus comparandos, ad alendos milites opus ſit. videant (cum hæc ferè omnia Proregis authoritate, ac diligentia requirant, nec niſi repræſentatis eius cura pecunijs, annona, bellico inſtrumento confici poſſint) quam difficilè, quam cunctanter, quanto cum ærarij diſpendio, Regiæ exiſtimationis detrimento, Prorege abſente res bellica adminiſtretur. videant quam ſæpe dum Panhormo pecuniæ, commeatus, naues expectantur, magno chriſtianæ reipublicæ damno aptiſſimum rebus gerendis tempus effluxerit.

„ At enim dicendæ inter Siculos iuriſdictioni accommoda- „ tior Panhormus eſt, inquiunt. nam Meſſana, cum extremo „ Siciliæ promontorio poſita ſit, neutiquam ita acceſſu faci- „ lis, obuiaque eſt ijs populis, qui Pachinum, qui Lilibæum „ incolunt, quin multæ itinerum difficultates, ab latronibus „ pericula ſubeunda ſint: Panhormus cum medio ferè loco ſit „ inter Pelorum, & Lilibæum æquè omnibus Siciliæ ciuitati- „ bus commoda eſt, æquè ex omnibus locis ad Proregem ne- „ gotij cauſa fieri concurſus poteſt.

Sed non adeò vrget argumentum hoc, vt multis agendum ſit, & Neapolitanæ vrbi, quamuis in extrema Regni parte poſitæ, nullas dum accepimus interiores ciuitates exiſtere, quæ illi de Metropolis iure controuerſiam faciant; deinde hæc ijs tantum veriſimilia videri poſſunt, qui nunquam in

Sicilia

Sicilia pedem poſuere; nam qui ſciat Syracuſas extremo ferè Pachino iacentem vrbem centum & quinquaginta paſſuum millibus Panhormo diſtare, Meſſana verò centum, qua tandem ratione perſuaderi poterit, Panhormum mediam eſſe Siciliæ ciuitatem? quin potius ſi recta ratio ineatur, apertiſſimum fiet celebriores inſulæ ciuitates Catanam, Ennam, Nicoſiam, Syracuſas, Leontinum, totam pene Neutinam prouinciam Meſſanæ propiorem eſſe, reliquas verò minoris nominis æquis ſpatijs Panhormo ac Meſſana recedere. & notiſſimum quoque eſt, ex tribus Siciliæ Prouincijs Mazarienſem, quæ Panhormo adiacet, minus frequentem eſſe, nec cum Netina, aut Demennæ in vrbium oppidorumue copia, atque amplitudine conferri poſſe. Quid ſi illa etiam conſideremus Siciliam eo latere quod inter Pachinum, & Lilibæum obtenditur importuoſam eſſe, atque aditu difficillimam; qua verò Tirrheno mari alluitur, ſi Panhormum, ſi Drepanum exceperis, nullum omnino oppidum ciuitatemue habere vel portu, aut ſtatione accommodam, vel ſitu loci munitam, aut aliqua amplitudine ſpectabilem. At qui Pelorum inter, & Pachinum, qua orienti obiacet, illuſtres nunc quoque, & veterum memoria ciuitates fert Meſſanam, Catanam, Syracuſas. habet & Tauromenium munitiſſimum loci natura oppidum, habet Auguſtam, exiguam haud dubie ciuitatem, ſed ampliſſimi portus gratia, non minoris multo, quam Syracuſas, quam Meſſanam faciendam. Itaque hæc Siciliæ plaga, ſi quid ſapimus, omnium vnicè Principi in oculis eſſe deberet: ſic enim rerum harum non imperiti ſentiunt, ſi qua vnquam, (quod omen auertat Deus) fatalis neceſſitas Siciliæ impendet, ab latere iſto timendam eſſe, quod & excipiendis hoſtium claſſibus portus aptiſſimos habeat, & ciuitatum ſitus is eſt, vt ſi ſemel in poteſtatem hoſtium venerit, difficilis, atque operoſa futura ſit expugnatio. Porrò eiuſce generis periculis Meſſana facilius, quam Panhormo occurrere Proregem poſſe, nemo eſt, quin intelligat; nam ſi maritimam expeditionem Conſtantinopoli hoſtis paret, celerius multo, atque etiam certius id quidem Meſſanæ cognoſci poteſt. tum deinde commodius huc illuc Meſſana exportari miles, aduehi machinæ, tormenta bellica, cæteraque id genus, quæ ad muniendas vrbes ſunt

opus. nec quod proxima Panhormo oppida Africæ incurſionibus exponi videantur, quicquam obeſt; cum enim robur omne ac vis Turcici imperij in Orientem tranſitum fecerit, ex vicina Africa vix eſt, quod grauius aliquod incommodum timeamus. ac præterea etiam iacentia ad eas oras oppida vnam modo Drepanum munitiſſimam vrbem excipias, non ea magnitudine ſunt, loci, ac naturæ firmitate, vt hoſti in oculos incurrant, aut magnam aliquam bene gerendæ rei ſpem facere poſſint. Ac ne quidem tuandæ Siciliæ ſolum oportunior Meſſana, ſed etiam Melitæ in fide, in imperio continendæ, Calabriæ, extremiſque Neapolitani Regni prouincijs fouendis, quæ cum longo interuallo à Metropoli abſint, commodiori ratione Siciliæ Prorex, & hoſtium conſilia intercipere, atque impedire, & auxilia commeatuſque decernere Meſſanæ poſſet. Enimuerò hic ego vix ſatis ridere poſſum eorum ineptias, qui rem bellicam æquè ex Reipublicæ commodo Panhormi, ac Meſſanæ adminiſtrari poſſe cenſent, æquè vtramque ex ciuitate propugnandæ, & cuſtodiendæ prouinciæ conſultum eſſe: cur verò igitur ſi qua prępotens nauium multitudo Ionium ingreditur, ſi quis belli rumor noſtrorum aures peruadit, continuò Proreges Meſſanam aduolant? cur non Panhormi militem euocant, claſſes ſociorum cogunt, in omnes fortunæ caſus conſilium mentis exercent? an non vel hiſce præiudicijs pugnare ſecum ipſi videntur, & clarè apertiſſimeque præſeferre vnam hanc vrbem, & pacis, & belli tempore Proregis ſedem eſſe deberi?

Nam illud quod de Nortmannis Regibus ſubtexebant, ſiquidem ſaperent, ſi non omnino cum modeſtia prudentiam quoque exuiſſent, pudere ipſos deberet hæc Nortmannorum exempla in medium protuliſſe. ſed iam altius rerum originem repetamus, neceſſe eſt, quod & veterum rerum narratione iucunditatem aliquam afferret, & vna opera, quam acutè de rebus ſuis Panhormitani differant, clare aperteque nos edocebit. Ac nemini quidem non notiſſimum eſt, Nortmannos fratres Tancredi comitis filios, cum ex ea Galliæ Celticæ parte, quam Normandiam hodie dicimus, quærendarum ſedium gratia in Italiam veniſſent poſt multas, & præclaras res bello geſtas, Apulia tandem Græcis erepta,

in

in eſtrema Italia conſediſſe. At cum inter hæc Sicilia gra-uiſſimo Sarracenorum imperio oppreſſa, Meſſanenſes legatione inſtructa Rogerium inter fratres natu minimum, qui id temporis Comitis titulo contentus Calabriæ parte aliqua dominabatur, ad aſſerendam è ſeruitute Inſulam inuitaſſent; narrant eum ſuarum virium conſcientia oblatam conditionem primo reſpuiſſe; ſed cum poſtea Bettumeni Sarraceni reguli (qui ad Rogerium profugerat) hortatione, ad eandem profectionem vrgeretur, Roberto fratre in conſilium adhibito, re tota perſpecta, ſuam operam permiſiſſe. Itaque coactis vndique viribus duorum millium exercitu inſtructo, traiecto freto Meſſanam omnium primam aggreſſus eſt. hac tam parua manu Siciliam vtrum admirabilius vicerit, an aggredi auſus fuerit incertum eſt; temerarium ſanè conſilium, ſi cœpti facinoris arduitatem penſemus. Ecquæ enim ſpes eſſe poterat, tam exiguo apparatu ampliſſimam prouinciam, & frequentia vrbium ſanè quam munitam, & numeroſiſſimæ Sarracenorum gentis auxilijs confirmatam poſſe debellari? Meſſana in fidem recepta, cæteriſque expugnatis vrbibus, Sicilia omni potitus eſt; cuius ampliſſimæ victoriȩ gloriam pijſſimus Princeps diuinitati acceptam ferens, ſacrum illud carmen vexillo inſcripſiſſe dicitur, Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini exaltauit me. vna Panhormitana ciuitas feliciſſimos victoriæ curſus remorari viſa eſt: ſed eam quoque poſt longiſſimam obſidionem in deditionem accepit, quam quia ſoli Sarraceni tunc incolebant, & nec temerè dubitari poterat, ne non imperij, & libertatis recuperandæ cauſa accitis ex Africa auxiliarijs copijs ab Rogerio deſciſcerent, prudentiſſimam conſeruandæ vrbis rationē inijt, conſtituendæ in ea ciuitate ſedis, quo facillimè, & domeſticas Sarracenorum coniurationes reprimere, * & externi quoque hoſtis vim, ſi quid ex Africa meditaretur. Quin etiam immiſſis ex Italia colonis, communicatiſque cum Sarracenis Ciuitatis, ac Regni magiſtratibus conciliare ſibi eius gentis fidem, & in officio continere ſtuduit. Adeò ſuſpecta Rogerio erant Panhormitanorum ingenia, vt ne quidem tot hæc humanitatis, & beneuolentiæ exempla ad deliniendos barbarorum animos ſatis eſſe viderentur; neque vnus Rogerius hac mente, & ſenſu fuit, ſed

* *Ioan. Baptiſt. Caraſa Hiſtor. Neap. lib. 8.*

quos

quot quot ei ſucceſſere ex Nortmannorum ſtirpe, eandem vrbis ſeruandæ formam ſecuti, Panhormitanos Sarracenos ad ſummos reipublicæ magiſtratus admouere, interdum etiam illatas ab ijs pro innato gentis odio in Chriſtianos iniurias, vel ſilentio tranſmittere, vel grauioris mali metu deſpicere coacti ſunt. Audeant nunc iam iſti mentionem facere Nortmannicorum temporum? audeant veteris æui cõmemorationem ingerere, in qua quam multa ſint vulnera, quis eſt quin intelligat. Eſt etiam, quod rideamus, tam aut proteruo, aut ſtolido conſilio iſtos eſſe, vt laudi ducant, quod probro, quod infamiæ, quod pudori eſſe deberet; nam quid, obſecro, tandem intereſt hæc dicere, quam Panhormitanos rebelli, & contumaci animo in Chriſtianam religionem fuiſſe, quam ſuſpecta ſemper, Punica in Nortmannos fide, nec niſi præſentis imperij metu in officio contineri potuiſſe. Quo contra, quia Nortmanni Reges non vno exemplo teſtatam compertamque habebant Mamertinorum conſtantiam, eorumque ductu, conſilio, forti, fidelique opera Siciliæ imperium quæſiſſe ſe nouerant; nihil erat, quod aut longo domicilio eorum animos demereri, aut præſentia confirmari opus eſſet; ſed prudentiſſimi medici inſtar integri membri cura in præſens remiſſa conſilia omnia, curam omnem, ſtudia ad affectas partes fouendas amandari æquius cenſuere. Porrò etiam, ſi ſapimus, hæc ipſa ſapientiſſimorum Principum præcepta, hæc gubernandi ratio nos docet, quid potiſſimum hoc tempore expediat: vt enim quia illo æuo Sarracenici imperij moles, & rerum ſumma in proxima Africa poſitæ erant; in aduerſa Siciliæ parte conſtitui Regni vires oportuit: ita tranſlato in Græciam Turcarum principatu, huc quoque omnia vergere, hic ſtatui Proregis domicilium, hic belli, paciſque propugnacula fundari iure optimo deberent.

Iam nec minus ridenda illa, quæ diſſerebant Mamertinam vrbem ob loci anguſtiam, ob ſoli paupertatem, minus aptam alendæ prouincialium hominum multitudine, quæ co litium cauſa confluit. quaſi verò quæ olim ab vetuſtiſsimo hiſtoriarum recordatione, quæ patrum, & noſtra quoque memoria Chriſtianos exercitus, numeroſiſsimas claſſes Principibus viris ad miraculum refertas commode, & deco-

re accipere profuſeque, & ſupra miraculum alere potuit, minus id præſtare valeat paucis quibuſdam Siculis aratoribus, lictoribus, opificibus, qui & domi ſuæ anguſte habitent, & fabis victitent. Quod ſi intelligunt, propter oppidi anguſtias defutura conuenis eſſe opificia, arteſque quibus ſe ſuſtentare poſsint; an non pugnare in ea re ſecum ipſi videntur? nam cum diffiteri non audeant ſeu loci, ſeu portus, ſeu vtriuſque beneficio Meſſanam mercaturæ faciendæ aptiorem; qui fieri poterit, vt exteris eo confluentibus non plures quoque, ac varios ad viuendi modos, & genera ſuppeditet. an non Hollandi, & conterminæ ijs gentes, cum in continenti tenuem agri modum habeant, maritimis artibus, negotiatione, ampliſsima ſibi lucra quotannis pariunt, vt multo feracius & induſtriæ genti mare, quam Siculorum inertiæ profunda terrarum eſſe videatur ac præter hæc quoque, cum ex ſedentarijs artibus, quæ Panhormi florent, nulla non etiam Meſſanæ vigeat; vna ſerici conficiendi tam latè patet, tot tantaque varia operarum genera complectitur, vt multa hominum millia vitæ præſidia ex ea ſibi comparare poſsint.

Sed iam audio diuerſæ partis patronos totis buccis crepantes Siculum illum conuentum, quo ab Rege frequentibus ſententijs poſtulatum, pro prouinciæ commodo, Panhormi tandem Tribunal ſtatui, ob eaſque res impetrandas vectigal etiam num quotannis pendi. Videamus igitur quanta ſit habenda huius conuentus ratio, qui tam frequenter iſtis in ore eſt.

Quibus notæ res noſtræ ſunt, haud puto clam eſſe morem, quem corrupta hac ſæculi fece in comitijs prouinciæ habendis Siculi ſequuntur. nam cum ex veteri inſtituto receptum eſſet, vt eccleſiarum præſules, viri principes ſtatis temporibus per ſe quiſque certo loco adeſſent, ciuitates etiam ipſæ legatos decernerent, qui coram de priuatis, ac publicis prouinciæ cauſis differerent, atque in commune conſulerent; paucorum ambitione factum eſt, vt quibus in concilio ſedendi ius eſt, non coram, & voce ſententiam dicant, ſed mandatis vicibus alios delegent. ita quicumque ex proceribus, ſiue ad gratiam cum Prorege ineundam, ſiuè ad induſtriam ſuam, & fidem Regi probandam atque oſtentan-

dam ambitioſius pro animi ſui libidine relationes in conuentu proponendas tranſigere cupiat, id vnum curet neceſſe eſt, quamplurimorum procerum, ac ciuitatum mandata corrogare; facillimum enim erit, cum vnus plurium nomen, ac vicem referat, huius quoque ſententiam vincere. ita fit, vt ex tam magno Epiſcoporum, Abbatum, Principum, Ciuitatum numero quinquaginta plus minus viri conuentus omnes celebrent. Igitur cum pro arbitrio Proregum Panhormi eiuſmodi concilia habeantur, ac ſoli fere Panhormitani ſeu ſuo, ſeu alieno nomine adeſſe ſoleant; tam mirum videri debet, hos perrogatis ſententijs Panhormitanæ vrbi Tribunal adiudicaſſe; quam mirum olim fuit Athenienſem Athenas laudare. Quid quod ipſi Proreges, qua ſpe gratiæ obiecta, qua minis intentatis, totamq; eiuſmodi ſcœnam fingunt, refingunt. quid quod ſi qui ex Siculis legatis concilio adſunt, alterutrum neceſſe eſt eueniat, vt vel Panhormitanorum auctoritatem ſequantur, quorum eſt in eo conuentu prærogatiua, vel, ſi aliter ſenſerint, ob ſuffragiorum paucitatem, eorum conſilia negligantur; vt in hos maxime quadrare vetus illud prouerbium poſſit, hæc potior, ſed hæc victrix. quid tandem quod Panhormitani in re propria Iudices ſedent, Panhormitani cauſas orant, ipſi in conſilium eunt, ipſi ſuffragia ferunt, ipſi ſibi iura reddunt, leges ac Senatuſconſulta ſcribunt, cum interim neque Meſſanenſes conuentui interſint ex veteri eorum inſtituto, nec aliquis ſit, qui ſine vlla animi perturbatione de re tota in vtramque partem diſſerens, quid facto opus ſit, in medium proponat.

Quamquam quid ego in ea controuerſia, quæ tota ad Regem pertinet, conuentum Siculum, an Panhormitanum Iudicem fero? cur non incompetentem, iniquum Iudicem eiuro? cur non ad Regem optimum prouoco? fallimur enimuerò, & toto cœlo decipimur ſiuè Panhormitani ſiuè Meſſanenſes, ſiuè Siculi, cum eiuſce controuerſiæ notionem nobis vindicamus. nam quis obſecro eſt, quin videat perturbatis animis nos ad cauſam venire, nec ſatis acutè diſpicere poſſe, quid ex publico vſu ſit, quid ex rei chriſtianæ vtilitate. cum noſtris quique commodis publici obtentu ſtudeamus. vnum ego in iſta diſceptatione Iudicem aio, agnoſcoque

ſcoque Regem optimum, eumque ſolum noſſe opinor, quis Regiæ locus diligendus, qui & regnandi artes nouerit. Scilicet cum non vnius, aut alterius ciuitatis, ſed prouinciæ totius Rex appelletur, cum nullius certi loci ſit ciuis, cum æquè eius interſit hanc, illamuè vrbem ornari, augeri, id vnum ſpectat, id meditatur, ita prouinciæ ſtatum, formamque componere, vt terrori hoſtibus, ornamento amicis, ſecuritati ciuibus eſſe poſſit.

Iam verò illud alterum quod obijciunt M. Antonium Columnam, Terrænouæ Ducem, Piſcariæ Marchionem non vno exemplo, etiam ſcriptis præ ſe tuliſſe, quæ mens Regis eſſet, expreſſiſque verbis teſtatos, velle eum Panhormi eſſe ſupremam Regni ſedem; proinde nec integrum eſſe ſucceſſoribus, Camerinam hanc mouere; facit, vt dubius hæream, quid primum admirer optimi Principis animi moderationem, an miniſtrorum proteruiam, an Panhormitanorum impudentiam. Quis verò enim non hæc omnia ſimul demiretur? tam ne autem proterui illi, iſti impudentes, lentus Princeps; vt cum Philippus II. regia fide, iuramento, Mamertinis promiſerit, curaturum ſe, vti Prorex in poſterum ſeſquianno toto Meſſanæ ſit, cum non vnis modo, atque alteris litteris, ſed pene innumeris vehementer hoc ipſum Proregibus commendarit, iuſſeritque; cum Philippus eius filius multis quoque ſuper hac re cum ſuis egerit; negare iſti audeant ſe abſcedere Panhormo poſſe, aut debere, qui ſi cauſam rogentur, nullam planè aliam proferre valeant, quam quia eorum deceſſores teſtati ſint, Regis mentem eſſe, Panhormi Proregem ius dicere. vide nouum coniectorum genus, qui ex aliorum coniectura iudicioque aſſequantur, quid alius vetet iubeatque. vide religioſos homines, qui tacitam Principis mentem ex ſuſpicionibus aucupentur, verbis expreſſam voluntatem reſpuant. Quid iam iſti facerent, quas turbas miſcerent, quas Iliades, quas Tragædias comminiſcerentur, ſi verbo vnquam Rex opt. eis eſſet aſſenſus, ſi fidem ſuam obſtrinxiſſet, ſi volens, prudenſque & iuramento præeunte. ſecundum Panhormitanos ſuffragium tuliſſet? ſed locus iam monet; Videamus, quid prudentiſſimus Rex Philippus II. pro Mamertinis ſtatuerit, ſcripſerit, & præſtat eum Hiſpanice, quam Latine audire, quod neſcio

quid energiæ latentis ea dialectus habeat. El Rey. Illuſtre Principe primo mi Preſidente, y Capitan General. Al Conde de Oliuares vueſtro predeceſſor mandè eſcribir alos diez y nuebe del mes de Nouiembre paſſado à çerca la pretenſion, que la Ciudad de Meçina tiene, de que mi Virrey junto con la Corte de eſſe Reyno reſida en ella la mitad de cada tres años conforme a la promeſa, que dello le ha eſtado hecha, lo que lo veereis por el tenor de la carta, que ſigue. El Rey. Illuſtre Conde mi Virrey, Lugartiniente, y Capitan General. quando la Ciudad de Meçina me ſirujo el año paſſado de nouenta y vno con quinientos mil eſcudos, paraque ſe le quitaſſe la gabela del tarin, ſe le offrezio de mi parte entre otras graçias, que entonzes le hize, que mi Virrey reſida con la Corte de eſſo Reyno la mitad de cada tres años en ella, en la forma, que haueis viſto por el priuilegio, que à qui le fue deſpachado, y ſe os ha preſentado, y porque la dicha Ciudad ha tenido recorſo à mi, agrabandoſe, que eſta condicion de la reſidençia no ſe le cumple, y que la cauſa dello procede, de eſtar reſeruada à arbitrio del Virrey, no me ha pareçido dexar deponeros en conſideraçion lo prometido à la Ciudad, y encargaros con la efficaçia poſſible, que aſſi en lo preſente, como en lo peruenir, le deys en eſte la ſatisfaçion poſſible, ſegun el eſtado de las coſas diere lugar, pues veeys la razon que ay para tener cuenta con tan inſigne Ciudad, de mas que ſe trata de cumplimiento de promeſa. fecha del Pardo à 19. de Nouiembre del 1594. Yo el Rey. de Come generalis Theſaurerius, vidit Saladinus Præſidens, vidit Cadena, vidit Brignolus Regens, vidit Scuderus Regens, vidit Lanz Regens, vidit de Ponte Regens, Sances Secretarius. Y porque holgare infinido, que ſe de ala dicha Ciudad toda la ſatisfaçion poſſible, aſſi por lo mucho que mereçe, como por tratarſe de cumplimiento de promeſa, que le ha ſido hecha, ſerè deuos muy ſeruido, y aſſi os encargo y mando, que no ſolo en l'ocaſion preſente, pero en la que andando el tiempo ſe le offrezieren durante el de vueſtro gouierno, proueereys hazer por la dicha Ciudad en eſta ſu pretenſion todo quanto ſe pudiere, y el eſtado de las coſas diere lugar, auiſandome de lo que en eſto ſe hyziere. Dat. in S. Lorençio à 5. Sitiembre 1595. Yo el Rey.

Ita

Ita quidem Philippus. nec alia filio mens pluribus, quoque epiſtolis conteſtata. El Rey. Illuſtre Principe primo mi Preſidente y Capitan General. La Ciudad de Meçina, en cuyo nombre ſe me haze continua inſtançia, para que ſea ſeruido, mandar, que el Virrey y la Corte de eſſe Reyno vayan á reſidir á ella la mitad de cada trienio, que fuere corriendo, conforme a lo que en virtud de capitulaçion y promeſa firm... de mi mano eſtá mediante cauſa onerosa aſſentado con la dicha Ciudad, a buelto agora de nueuo ala miſma dimanda, formando mucho agrauio, de que no ſe le cumple el tenor del priuilegio, que á çerca deſto le fue diſpachado; y ſuplicandome no permita, que lo ſuſo dicho paſſe adelante, y porque conſiderando la razon de la dicha Ciudad, e tenido por bien, lo que ſuplica: por onde os encargo, y mando, que pues poſta toda difficultad, y ſin atender a comodidades, y fines particulares, os partays luego, que eſta recibays, con la Corte a la dicha Ciudad de Meçina para reſidir alli de vn tiron los diez y ocho meſes, que con ella ſtá capitulado del trienio, que cominzará entonzes a corer; haziendo lo miſmo en cada vno de los, que adelante vinieren, ſin que en eſto no aya falta, ni ſe le enterrumpa el tiempo, que deue gozar d'eſta prerogatiua, por ninguna cauſa, ni fin, que ſe offreziere, ſi ya, no fueſſe por alguna tan grande importançia á mi eſtado, y ſeruiçio, y ala ſecuritad, y defenſa d'eſte Reyno, que conuenieſſe por eſto acudir a alguna otra parte del; peró á ſe de entender, que a vn eſto, vos, ni los, que en eſſe cargo os ſuccedieren, no lo han de hazer ſin conſultarmelo, y eſperar reſpueſta mia, quando ſin euidente peligro ſe pueda hazer eſto; pero ſi el caſo fuere tan repentino y di tal calitad, que no dé lugar á delaçion de conſulta, y reſpueſta, por lo menos me aduiſareys, luego que ſe haya hecho la tal mudanza, y de la fuerza, y motiuos, que para ella tuuiſtis para entender todauia mi voluntad, de S. Laurencio á 8. de Agoſto 1597. Yo el Principe. An non igitur pudendum cum tot Proreges Siciliæ præfuerint neminem interim extitiſſe, qui intra proximos quadraginta annos, vnum integrum Meſſanæ eſſet. An non peſſimi exempli res ſummos Magiſtratus, quibus vel nutus ipſi Principum legis loco eſſe deberent, nullos hactenus repertos eſſe,

qui optimos Reges promiſſa fide liberare vellet? Scio, reſpondebunt, iuberi Proreges Meſſanæ moram trahere, extra quam ſi eos alio reipublicæ neceſſitas vocet, rerumque momenta aliter ſuadeant. nihil igitur eſſe, quod Mamertini merito quæri poſſint, cum certas ob cauſas eaſque publice maxime ſalutares Panhormi hactenus fuerint. Acute quidem, & ex artis diſciplina Iuriſconſulti iſti ſibi cauent. at cur illos rogo, cauſæ iſtæ non proferuntur? an, qua grauitate ſunt, Pithagoricum quoque illud ſibi vendicant, ipſe dixit? Aut quæ tam diuturnæ tamque perpetuæ & ſibi inuicem obſtinate ſuccedentes cauſæ iſtæ ſunt, vt ne poſt quadraginta quidem totos annos eſſe aliquando deſierint? Et perennia quoque flumina magnam aliquam ob anni ſyderationem æſtate media exaruiſſe aut vidimus, aut legimus; hunc verò rerum, articulorumque nexum, & coitionem, mirum eſt, numquam interim potuiſſe abrumpi, numquam ita intermiſiſſe, vt libera liqueretur Proregi facultas, altero ſaltim ſeſquianno Meſſanæ forum agendi. Enimuerò ſi toto iſto temporis interuallo, quod longiſſimum leges appellant, ita præiudicata cauſa Mamertinorum eſt, quæ tandem ſpes erit reliqua, quis rerum modus, vt promiſſi fidem exſolutam, & Regum omnium maximi verbis pondus ineſſe ſentiamus, alioqui enim quid pactiones illæ cum Principe initæ, ſtipulatione, iuramento confirmatæ; quid tam multa in eamdem ſententiam reſcripta, ac diplomata aliud ſunt, quam quod veteri ludo dici ſolet, cape nihil, & ſerua bene? quid niſi hiſce verborum aucupijs ſimplicitati Meſſanenſium voluiſſe imponere?

Cæterum in eo quod poſtremo loco addebant verendum eſſe, ne aucto ciuitatis pomerio, atque accliuibus locis muro inclusis, difficilior reddatur propugnationis ratio, ſubagnoſco callidum aduerſariorum conſilium, quod ab Lacedemonijs bona fide mutuatos opinor. cum enim illi Athenienſibus nouam vrbem molientibus, & veteri maiorem mœnium ambitum complexis inuiderent, miſiſſe legatos dicuntur, qui monerent, ne munimenta hoſtibus, & receptacula futuri rurſus belli exſtruerent. atque vtinam, vt prudentes iſti in cauendo, ſic nobis aliquis eſſet Themiſtocles, qui ſuis ipſos dolis circumueniret. ſed ſi quid video in ipſos aduer-

ſarios

ſarios telum recidit. neque enim colles oppido addere conſilium vnquam fuit, ſed ſi quæ acceſſio futura eſt, ea planis in locis erit apertiſque, ſiue quæ ad Septentrionem, ſiue quæ ad Auſtrum in latum protenduntur. quin aucta amplificataque ciuitate id quoque commodi accedet, quod vrbana multitudo non tuendis modo, ac propugnandis mœnibus ſufficere, ſed & vtraſque Peloridis fauces, & quæ ad meridiem, & quæ ad Calcidium montem ſunt, munitionibus poſitis, obſeſſiſque itineribus eripere hoſti poterit, ac ſimul etiam, è nauibus egreſſum prohibere.

Sed enim, inquiunt, illud quoque Panhormitanæ ciuitatis cauſam mirum in modum confirmat, quod vniuerſæ Prouinciæ publica acta, ſeu ciuiles, ſeu capitales quæſtiones explicent, ſiue priuatas, ſiue publicas cauſas ſpectent, Panhormi hactenus in archiuijs ad eam rem exſtructis ab vetuſtiſſima hominum recordatione aſſeruata ſunt. Quo factum eſt, vt Regij Quæſtores Alphonſi Regis edicto Panhormi diu ſemperque eſſe iubeantur; nam quia Proregem ex ea vrbe diſcedentem Quæſtores comitari mos erat, eamque ob cauſam non modicam turbationem ærarij regij rationes accipiebant; incommodo huic obuiam itum eſt, cautumque vt duo ex quæſtoribus, item, & perconſeruator, alijque minores magiſtratus Panhormi perdiu ſint, quo rationibus ærarij diſputandis inſeruiant; hocque iure hactenus vſi ſumus, vt ne ob longam quidem Proregis peregrinationem rationum codices Panhormo vnquam diſceſſerint. Sed neque tamen tot hiſce collatis ſtudijs obtineri potuit, quin, vbi Prorex Panhormo abeſſet, grauiſſimo damno Principis fiſcus afficeretur: cum enim ſuperiorum annorum rationes frequenter per adminiſtratorum deſidiam negligerentur, bona quæ erant nomina, medij temporis lapſu, aut non ſoluendo fiebant, aut tam longa manu exigebantur, vt perſolutæ interim à fiſco ſuis creditoribus vſuræ ſummam ipſam æquarent. Itaque & ad veteres rationes putandas nouos ab Rege allegari homines opus fuit, magnis honorarijs emptos, recentiores verò vt diligentius curarentur, augeri adminiſtrorum numerum, augeri itidem penſiones. Igitur ita conſtitutis patrimonij regij rationibus, cum tantopere reipublicæ interſit, eas ritè, diligenterque adminiſtrari, cum Princeps

ceps ipſe non vulgaribus ſtudijs ſedulam fiſci ſui curatio-
nem Proregibus commendarit, grauiſſima culpa ſe adſtrin-
geret, quiſquis vel leuiſſimo interpoſito obice, expeditiſſi-
mum hunc negotij conficiendi curſum remoraretur, nec quæ
futura ſit ſpes apparet rerum vnquam bene, & ex ordine ge-
rendarum. Enimuerò ſi regiarum rationum quæſtores, quo
ſuo muneri ſatisfaciant dies, noctesque toti in rationibus
putandis eſſe ita deberent, vt nec de tabula manum tollere
eis liceat, qui tandem id præſtare poterunt, ſi quotidie è ſta-
tis eorum ſedibus, aliò commigrandum eis eſſet, ſi huc illuc
accepti, & expenſi tabulæ codiceſque transferendi? Neque
diſſimilia ſunt aut minora his incommoda illa, quæ oriun-
tur ex frequenti publicorum actorum tranſuectione; nam
præterquàm quod ad eos traijciendos, ne omnes quidem
Siculæ triremes ſatis ſunt, quin plures quoque naues onera-
rias pretio conduci oporteat, quantum illud eſt maris iniu-
rijs obijci potiſſimam reipublicæ partem publicis monu-
mentis actiſuè conſignatam; quod ſi enim vel ob anni tem-
peſtatem, vel per hoſtium incurſus pereant? qua tandem
ratione cum publicæ, tum priuatæ rei iactura reſarciri po-
terit? quid verò ſi quotannis Panhormo Meſſanam, Meſſana
Panhormum recurrendum eſſet? Quantum illud quoque,
quod hac vna ratione Archiuia ipſa, quæ tam longo anno-
rum decurſu eo ordine digeſta ſunt, vt ſuos quæque acta
pluteos habeant, ſuos annorum titulos, ſurſum deorſum
eant neceſſe eſt, & tabulis ſuo loco motis, ac inter ſe per-
miſſis, neque expediri lites, neque inueniri, & excribi exem-
plaria poſſint.

Hic mihi verò primum illud mirum videtur, nunc tandem
iſtos Lincæis oculis tot hæc incommoda peruidiſſe, nunc de-
mum vereri, ne informe aliquod chaos Siculam rempubli-
cam prorſus occupet; quaſi non vſque ad Garſiæ Toleti tem-
pora is idem fuerit prouinciæ regendæ modus: quaſi non
quotquot ante illum Proreges præfuere Panhormi, ac Meſ-
ſanæ per vices ius dicere ſoliti ſint, quaſi non has ipſas dif-
ficultates Panhormitani obiecerint, eaſdem neglexerint Al-
bæ Aliſtæ Comes, Siciliæ Senatus, item & ſupremi Italiæ
conſiſtorij Præſides, cum tranſactionem à Mamertinis cum
Philippo Rege initam de conſilij ſententia confirmarunt,

proba-

probarũtque; quorſum igitur tamdiu repetitis ictibus vnum eumdem lapidem tundunt? Ad hæc Regij Quæſtores, ſi ea ſunt animorum integritate, ea diligentia, atque induſtria, quam ſuo iure ipſa dignitas poſcit, neque monitore, neque inſpectore opus habent, vt ſiue Panhormi Prorex ſedeat, ſiue alibi peregrinetur, æque, ſollicite, ac diligenter munere ſuo perfungi debeant: ſed etiam ſi Prorex longiſſime abſit, an non integrum ei eſt, per litteras illos officij ſui monere, & vt diſputandis accurandiſque regij ærarij rationibus ſtrenue inſudent, pœnis aut premijs propoſitis vrgere? Tandem verò quam magnum eſſet, quam difficile, quam periculoſum triremes Siculas neceſſaria hac librorum tranſuectione paucos dies æſtate media occupari? an non quotannis illæ nulli reipublicæ bono Hiſpanias vltimas penetrant, ſolis Proregum impedimentis, aut Hiſpanis hominibus tranſuehendis; an non reliquum omne tempus otioſe in Panhormitana ſtatione tranſigunt?

Sed nimirum hæc quæ hactenus diſſerui ad amplificandam augendamque vrbem pertinent. At quam vereor, ne non tam de proferendis Meſſanenſium rebus cogitandum nobis ſit, quam ne gradu excidere, ne hoc rerum ſtatu labi, ne in ruinam in exitium ire compellamur; neque enim ea modeſtia noſtri ſunt hoſtes, vt vel ſecundos honores permittant, & cum rerum potiantur, ita imbecillo animo fauentis fortunæ indulgentiam ferunt, vt inter ſecunda, numquam aliquando aduerſa cogitent. Fuere olim Lacedemonij, qui Athenis debellatis, cum inter ſocios de ea excindenda ciuitate certaretur, negarunt ſe ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos. Fuit hæc populi Romani moderatio, vt æmulam vrbis æternam Carthaginem bis victam ſupereſſe, & florere pateretur; vna Panhormitanorum ſuperbia eo faſtu, eaque arrogantia eſt, vt quaſi pudeat, aliquam eſſe in Sicilia ciuitatem, quæ ei contendere primos honores audeat, delendum Mamertinorum nomen, vrbemque incendio conſumendam velit. & dolendum maxime eſt, quod qui componere hæc ciuitatum diſſidia, qui reipublicæ Siculæ conſeruandæ, augendæque operam dare deberent, tantum abeſt, vt nobiliſſimam vrbem, Siciliæ columen, Italiæ clauſtra, & ciuium frequentia repleri, & murorum ambitu, arcibuſque

firmari curent, vt eo potius eorum omnia ſtudia, cogitatio-neſque pertinere videantur, eo referri conſilia, vt ſuis ornamentis imminuta, belli, paciſque inſtrumentis exarmata, quam deſertiſſima reddatur; ac quandoque in ipſa Meſſana Meſſanam quærere cogamur; nam quas iſti artes non tentant, quas prætereunt occaſiones, quid machinarum non adhibent, ad expugnanda illa præſidia, quæ vel ornamenti, vel authoritatis, vel commodi, aliquid addere huic ciuitati poſſent?

Primum cum non æqua ſit, vt ante monui, Meſſanenſium, & Siculorum conditio, ſed ſpeciali iure tum Meſſanæ, tum in ſubiectis oppidis ſolus Strategus vtriuſque temporis belli, & pacis munera obire poſſit, vix, ac ne vix quidem dici poteſt, quam ſæpe, quam callide, quam acriter imminui, atque euerti ampliſſimi huius magiſtratus auctoritatem tentarint.

Ad hæc cum vetuſtiſſimo regum beneficio ſoli Mamertini æs publicum ſignent; quod ius in Neapolitano * quoque Regno tenuiſſe olim legimus; præclari iſti nihil non moliti ſunt, vt ea quoque prærogatiua vrbem ſpoliarent. cum enim abraſis per audaciſſimorum hominum ſcælus pecunijs publicis, aut etiam falſo cuſis, late ſerpenti malo, nullum præſentius remedium, niſi nouis percuſſis nummis, adhiberi poſſe, omnes intelligerent, Marchioni Villenæ authores fuere aperiendæ Panhormi monetalis officinæ: ac ne Mamertini, perſtringi eorum inſtituta, quæri poſſent, (vide æquiſſimorum hominum iudicia) illud cautè additum, ne niſi Meſſanenſes ei muneri exercendo præficerentur. Sed cum Prorex id ciuitati iniquiſſimum videri, inaudiſſet, reuocato conſilio veterum, ac receptum morem retineri iuſſit. Tum verò inſtare illi, ſi minus id fieri poſſet, Panhormi ſaltem, & Syracuſis monetam quoque cudi liceret, quoad auctis operis magna pecuniæ caritas, quæ tum erat leuaretur: vafrè id quidem, & ingenioſe ad minuendam facti inuidiam. quis enim non intelligit eo aſtu hæc illos meditatos, quod certiſſimè conijcerent, vbi prima iſta conſilia ſucceſſiſſent; neque Meſſanæ neque Syracuſis amplius nummos percuti, Senatum Regium eſſe permiſſurum; ſed in vna Panhormitana ciuitate tandem eam prærogatiuam velut in fundo

* *M. Antonius Surgētius Neapolis illuſtrata lib. 1. c. 7.*

ſundo hæſuram? Sed cum ne id quidem impetrari potuiſſet, malle ſe apertiſſimè præ ſe tulere grauiſſimo illo damno rempublicam vexari, quam vt nouæ pecuniæ cudendæ facultatę data, Meſſanenſes eo vel commodo, vel honore augeri paterentur.

Iam quid tandem permouere iſtos potuerit inueſtigemus, num ne vt grauiſſima hæc nummaria prouincia in oculis Senatus integrius, ſanctiuſque adminiſtraretur? at antiquiſſimi Siciliæ reges huic malo, quodcumque oriri poterat, obuiam iere, conſtitutò Meſſanæ certo magiſtratu, qui ſummo cum imperio vitæ, neciſque in eius culpæ reos animaduerteret; ſunt monetales præfecti, qui huic vni rei ſedulo ſtudent, vt non niſi legitima æris, atque argenti miſtione, iuſtoque pondere nummi cudantur. Accedit quod monetalis magiſtratus vnum illud curare debet, vt ad præſcriptum ab Regijs Quæſtoribus æris argentique miſcendi modum, ponduſque pecunia ſignetur, reliqua enim ab Senatu Regio curanda ſunt; quid tandem igitur intereſt, Panhormi ne an Meſſanæ æs publicum fiat? an non ſi qua fraus ponderi, ſi qua argento ineſt, ſalua Senatui eſt vendicandi facultas? an non lege agere, punire ſceleris compertos poteſt?

Sed iam reliqua perſequamur. Tertius ferè eſt annus, cum in ſupremo Italiæ Senatu actum eſt de conſtituendo Meſſanæ libero gentium omnium commercio; id erat, vt externo cuique non modo catholicæ religionis homini, ſed & Hæretico, Turcæ, Hebreo negotiationis cauſa Meſſanæ eſſe perdiu atque impune liceret, vt ſuis legibus, ſuis moribus viuere tuto ac ſine periculo poſſent, vt naues ſuas mercium conuehendarum cauſa ex quantumuis peregrina, & hoſtili prouincia, & qua cum nobis legitimum, & indictum ſit bellum ſecure, & ſine cuiuſque iniuria in portum appellere permitterentur.

Plane nec dubium erat, quin iſta conſilia noſtræ ciuitati plurimum, & dignitatis, & commodi allatura eſſent, ſed non tam cura hæc Senatores tangebat, quam quod certiſſima ſpe ducebantur fore, vt hac vna via & Venetæ Reipublicæ redditus imminuerentur, & regis vectigalia ampliſsima incrementa caperent. Igitur cum extra controuerſiam eſſet futurum id magnopere ex Siculæ reipublicæ vſu, non tamen

viri prudentiſsimi committere voluerunt, quin ſuper ea re Senatus quoque Siculi ſententiam rogarent. ſcribitur igitur ad Proregem, & vt communicato cum ſuis conſilio, quid facto opus eſſe cenſerent, quid rem Siculam deceret, ſcripto excipere iubetur. Neminem hic eſſe opinor ita aut ſtolidum, aut noſtro hoc in foro peregrinum, qui ſi interrogetur, ecquid pręclari illi reſpõderint Oedipo coniectore opus habeat. facilis ſcilicet pronaque eſt diuinatio, non videri ex reipublicæ vtilitate eſſe. nec verò ego miror ita illos ſenſiſſe, quibus multo iam tempore perſuaſiſsimum eſt, nihil ex Siculæ rei vtilitate eſſe, quod vel tantiſper Meſſanenſium rationibus commodare poſsit; cum enim qui in cõſilium vocatur Panhormitani ſint, aut cenſeri velint, furioſi eſſet, opinari eos de Mamertina re amplificanda conſilia ſumpturos. At inique me agere dicet aliquis, & non veris accuſationibus Panhormitanos vrgere, præſertim cum liquido appareat non ſine grauiſsimis cauſis ita illos ſenſiſſe. præſtat igitur eas explorare, & quantum in ijs momenti, veritatiſque ſit accuratè perueſtigare.

Principio, inquiunt, multum intereſſe, ne qua ad Turcarum Regem noſtrorum conſilia bellicæue cogitationes permanent, ne hoſtis res noſtras doceatur, ne prouinciæ vires, ne Siculorum mores, neceſsitudines, propenſiones, ne ciuitatum, atque arcium ſitus, munimenta, infirmitates odoretur; atqui ſi permiſerimus barbaros homines, Turcas, Mauros, Hebreos mercaturæ prætextu Meſſanæ diutius verſari, quis non videt, neque ſuſcipiendis maritimis expeditionibus operam dari in poſterum poſſe, & nihil in tota pęne Europa ita ſecreto tranſigi poſſe, quod non ad Chriſtiani nominis hoſtes perferatur, nihil in Sicilia futurum, quod Conſtantinopoli notius, atque teſtatius quam apud nos ſit? Accedere inſuper magnopere verendum eſſe, ne tot millibus externorum hominum Meſſanam confluentibus, tam multis etiam nauibus eum portum ſubeuntibus, capiendæ per aſtũ, & fraudem vrbis deſiderio tangantur, neque admodum difficile factu id eſſet in tam magna nauigiorum copia, in tanta hominum multitudine, & licentia, quanta in eiuſmodi emporijs verſari ſolent. Quod ſi ad hæc addamus, diuturna Turcarum conſuetudine, quos præpoſteræ veneri nimio ad-

dictos ſcimus, magna aliqua turpitudinis nota Meſſanenſium mores infici poſſe, timendum quoque, ne infirmior ſexus, ne pueri puellæque, vel muneribus illecti, vel prauis corrupti conſilijs eiurata chriſtiana fide, (vt pronæ in ſcelus ſunt hominum mentes) in nefarios Mahometis ritus prolabantur, quid ſupereſt, niſi vt ad extremum conficiamus, nihil minus optandum eſſe, quam vt nouis iſtis probatis conſilijs Siciliæ, atque Italiæ ſalutem, Chriſtianæ fidei integritatem certiſſima in pericula conijciamus? Atque hæc quidem erant illorum argumenta, nec difficile fuit, qua pollent authoritate, ea Senatui Italico ita probare, vt infectum negotium redderetur. præſertim cum nullus eſſet, qui ſubiectis in contrariam partem rationibus Meſſanenſium cauſam propugnaret.

Sed neque hic conſiſtit eorum audacia, non tam facile exſatiari valida hæc nocendi fames poteſt: nam quia non eos latet Mamertinos ex frequentiſſimis cum Oriente toto commercijs maximos quæſtus facere, vno iſto negotiationis mutuæ inſtrumento res augeri, & largitionibus in Principem faciendis pecuniam ſuppeditari poſſe; hanc quoque ſpem præcidendam rati, prudenti in ſpeciem raciocinatione diſſerunt. Orientis regiones, Aſiam, & conterminam Europam perpetuò quaſi morbo peſtilentiæ conflictari; ei malò cum non medicorum ope adhibitis oportunis remedijs, non obſeruatis itineribus, clauſis maribus gens illa obuiam ire multum curet, ſeu barbara conſuetudine, ſeu quod fatali neceſſitate morti obſtrictos ſe opinentur, quam humano conſilio fugere non poſſint, verendum admodum eſſe, ne in tam frequenti nauium ex ijs regionibus Meſſanam appulſu, ex tam commoda prouinciarum traiectione, & mercatorum conſuetudine, atque conuictu, morbi contagio ciuitatem aliquando peruadat, magno atque irreparabili non modo Siciliæ, ſed & adiacentis Italiæ damno. Itaque ne quid reſpublica detrimenti capiat, ſedulo animaduertendum eſſe. nec proinde aliam cogitari poſſe tutiorem expeditioremque cauendi rationem, quam ſi penitus id mutui commercij genus edicto Meſſanenſibus prohibeatur, quam ſi appellentes ex ijs prouincijs naues portu arceantur, aqua & igni interdicantur. Quod ſi etiam eam ob cauſam de reipublicæ vecti-

galibus

» galibus aliquid deceſſerit, id non tanti eſſe faciendum, vt
» non grauiſſimo totius orbis damno poſthaberi debeat, &
» maioris mali metu iacturam in lucro ponamus. Nec minus
» prudenter acuteque hac vna via ſpeculatorum induſtriam,
» vſumque ſe hoſci erepturos prædicant. neque enim dubi-
» tandum eſt, inquiunt, quin Armeni, Maronitæ, Syri, Græci
» omnes Europæi ſiue Aſiatici, cum immaniſſimo Turcæ pa-
» reant, cum Græca ſint fide, vel ineundæ apud Barbaros gra-
» tiæ velificentur, vel præmij ſpe Meſſanam ſæpe ac plurimum
» earum rerum cauſa ventitent. id quod ipſis qua mercaturæ
» prætextu, qua chriſtianæ religionis ſimulatione factu facil-
» limum eſt. Iam, addunt, quantum illud etiam emolumentum
» eſt, quod hac eadem ratione hoſti ereptum imus. nam cum
» ex vnis hiſce Mamertini portus oſtijs tam magnum argenti
» facti, ſignatique pondus ad Orientis regiones emendarum
» mercium gratia quotannis efferatur, quam commode cadet,
» vt Barbaræ nationes, quæ Romani Pontificis diuino conſilio
» ferrum, æs, ligna, tormentarium puluerem, cæteraque id ge-
» nus belli inſtrumenta, ne iuſto quidem pretio habere à Chri-
» ſtiano homine poſſunt, noſtra quoque prouidentia pecunijs
» careant, quæ belli neruus ac ſumma cenſentur.

Video hic ego, quam ieiune, quam frigide explicauerim ſolidiſſima hæc nouæ politiæ fundamenta, quæ illi haud dubie in ſcripta ad Regem conſultatione (ſic enim audio) neruoſius, elegantius, accuratiuſque concinnarint. me quidem illud excuſauerit, quod neque ea ſapientia Mamertini pollere iſtis videntur, vt eos in partem reipublicæ vocari deceat, &, quæcumque in nos moliuntur, ſanctioris conſilij ſacrario aſſeruari mos eſt. Ac ne factioſi homines ſapientius locuti, quam feciſſe viderentur, extremo hoc biennio, quæcumque nauis ex Aſia, quæ ex Syria, Alexandria, Chio venit, leuiſſimas ob morbi ſuſpiciones portus ingreſſu prohibitæ ſunt. vt ne quidem eas paſſi ſint indicibus & cuſtodibus teneri: merces atque onera clauſis locis ſub dio aſſeruari; purioris æris fluxu ventiſque purgari. & quaſi exigua hęc forent eorum voluntatis veſtigia, illud quoque prohibitum, ne aduectæ ijs nauibus merces, quamuis Neapoli, Liburni aliiſque in locis expiatas omnique ſuſpicione liberas, publica fide conſtaret, Meſſanam inueherentur. O miſerrimam

Mamer-

Mamertinæ vrbis conditionem. o deſperata reipublicę tempora. quid tandem hoc eſt, quid muta iſta rerum geſtarum teſtimonia proclamant, quid aliud teſtantur, quam, Placere Senatui, ne qui ciues in Oriente mercaturam faciant. ne quæ à noſtris inde ad nos ſubuehantur mercium genera, ne honeſtiſſimo hoc quæſtu priuatam ac publicam rem Mamertini augeant. Quantum inter mentes hominum & cogitationes diſtat, quantum homo homini præſtat. ſcitum apud Iuriſconſultos eſt, frequentiorique calculo receptum. (nam quo alio argumentorum genere iſtos impetam, quos ſi cuius paulo cultioris Scriptoris auctoritate dimonere à ſententia velis, aut non intelligant neceſſe eſt, aut ad Calepinum prouocent) ſcitum, inquam, monocularia, quæ appellant beneficia, ea prærogatiua & fauore eſſe, vt nulla, quantumuis ampliſſimis verbis concepta, lege comprehendantur. vt ſi Romanus Pontifex certa quædam aut omnia loci ſacerdotia donandi facultatem ſibi præcipuam reſeruet, neutiquam iſtius modi edicto de eo quoque actum cenſeatur, cuius vnius attribuendi auctoritatem aliquis habeat. quod per abſurdum & ab humanitate omni alienum videatur, eum vnico illo veluti lumine orbari. Laudo iudicij ęquitatem. at quis iſtorum barbariem æquo ferat animo, qui cum miſeræ ciuitati Proregis ſedem, alterum velnti oculum, inuiderint, reliquum, cuius vnius beneficio in luce aliqua eſt, per fraudem, per malas artes eruere conantur? At, inquiunt, vereri ſe ne qua peſtilenti morbo via Meſſanæ aperiatur. at cur verò eodem illo tempore, quo Mamertinis omnem in Oriente negotiationem interdicimus, peregrinæ ex eodem Oriente externarum gentium naues non Panhormitani, non Syracuſani, non Mamertini portus ingreſſæ prohibentur? an non ab ijs, quod metuere videri volumus, periculum eſſe poteſt? an non illæ contagioni obnoxiæ? niſi ſi externum quoque cœlum conſpirare in noſtræ vrbis excidium opinemur, vt, cum exteris hominibus parcat, ſolos Mamertinos eorumque res vltrici tabe perſequatur ac polluat. Quid potius in hac tanta & tam turpi inconſtantia, quid in tam diuerſo iure inter eiuſdem exempli cauſas, quam priuata factionum ſtudia ſuſpicemur? quid niſi illud cenſeamus, æquiori hos animo ferre, negotiationis huiuſce fru-

ſtum ac quæſtum ad externos magis, quam ad Mamertinos deferri? Nam ſi obtendunt noſtros ſiue in cuſtodijs apponendis ſiue in obſeruandis nauium ſeptis non ea integritate eſſe, quin non muneribus corrupti, merces immitti in vrbem, hominesque ipſos huc illuc commeare patiantur; hos ipſos reipublicæ curatores rogo in hac temporum noſtrorum corruptela, in tanta tamque perdita hominum cupiditate, ecquam tandem audierint, totius Siciliæ ciuitatum reipublicæ adminiſtrandæ formam ita comparari cum Mamertina poſſe, vt non ſceleſtiſſimi quique ex noſtris ſanctiſſimi haberi debeant, ſi cum alijs conferantur. quam vnam laudem & reliquæ omnes Siculæ vrbes, & Panhormitani potiſſimum merito hodieque nobis inuidere ſolent. Aut ſi tam meticuloſi eſſe volunt, vt vel cœli caſum timendum clamitent, præteritorum temporum recordationem memoria relegant, maiores natu conſulant, proferant ſi quod habent exemplum, doceant, negotiationis externæ vitio Meſſanam aliquando peſte laboraſſe. quod ſi poſt hominum memoriam nil tale aliquando accidit, cur extremis hiſce annis pericula hæc timeri debuere. nam ſi re vera noſtri aut negligentiores iuſto ſunt, aut etiam in auaritiam procliuiores, quæ cauſa eſt, quin ſeueriori lege improborum cupiditates compeſcantur, quin atrociſſimis pœnis ſcelerum rei ad vindictam petantur. cur non eam in rem vigilias ſuas, cogitationesque conferunt, ne tam periculoſa paucorum audacia impune eſſe videatur. enimuerò cum hæc mecum ipſe conſidero, videntur mihi iſti cum deliro ſene comparari poſſe, qui, ſi quid à pueris turbatum eſſet domi, ſi quid per ætatem flagitium puerile admiſiſſent, continuo irarum odijque plenus, animi impotens domum ex imo excindendam, ac ſolo ęquandam eſſe clamitabat. an non verò pudet te, mi homo, cum familiam tuam regas, ad alios prouocare? an non in tua eſt manu, flagello in noxios animaduertere? quid igitur innocentem domum laceſsis? cur innoxiam ad pœnam vocas? ſed, ſi quid video, non vitia iſti odere, ſed homines, ac ne quidem homines. nihil illi cum vitijs, nihil cum hominibus aut diſſidij, aut negotij habent. vnum illum murorum ambitum, vnam portu & mœnibus incluſam vrbem legitimum hoſtem in prælia depoſcunt. Et venena quoque reipublicæ noxia

ſunt.

ſunt. & ad multiplices moriendi vias à natura præſcriptas plures quoque alias addidit humanum ingenium, excogitatis in belli vſus varijs ac diuerſis armorum inſtrumentis. at non tamen vel lege prohibitum eſt, venena ciuitatibus inferri, neque armorum officinæ obſtructæ. ſed ſi quis veneno aliquem petierit, ſi quis telo occiderit, ſeueriſſime in hominem lege Cornelia vindicatur. niſi verò aut plus aliquid introſpicere iſtos velimus, quam Veneti hactenus viderint, Genuenſes, Florentini, Galli, Belgæ, ſemel dixerim omnes humanitate præditæ reationes, aut diuinam aliquam ciuilis prudentiæ rationem nunc primum cœlo eſſe delapſam.

Tandem quòd obtendebant vereri ſe ne noſtra pecunia hoſtis locupletior fiat, non paulo maioris momenti eſt, quam alia fuerint. ſic enim iſti perſuaſum ſibi habent, quaſi ſi vno hoc Meſſanenſium commercio Turcæ prohibeantur, multum de immenſis eorum diuitijs deceſſurum ſit. quaſi non ipſæ quoque Hiſpaniarum prouinciæ, Gallia tota, Italia, Germania, omnes fere orbis nationes ſuas quoque opes mercium comparandarum gratia in Orientem effundant. Quid quod, ſi tota pecuniarum ratio ineatur, quæ Meſſana efferuntur, conſtabit, minoris multo quam tercentum millium eſſe? deinde id quoque vix eſſet ferendum, ſi argentum hoc ex eo genere eſſet, quod in Sicilia pedem veluti aliquando poſuiſſet. tum enim queri quis merito poſſet, inſulæ pecuniam, cæteroqui ſatis tenuem, ea ratione exhauriri. at non ita ſe res habet, vt iſti exiſtimant. quia enim lege cautum apud nos eſt, grauiſſimis conſtitutis pœnis, ne cui factum infectumque argentum, aut etiam ſignatum in exteras regiones ex Sicilia efferre liceat, aut in naues traducere; eam ob cauſam, qui Meſſanæ negotiantur, certis de pactis pretijs, aduehi in portum quotannis Genua pecuniam curiant, quam ipſi poſtmodum ex ijſdem Genuenſium & Florentinorum triremibus in naues mercaturæ cauſa paratas traijciant in Orientem perferendas. qui traiectionis modus neque editæ legi obnoxius, neque oneri eſſe Siculæ reipublicæ dici poteſt. cum nulla argenti Siculi portio in alienas prouincias exportetur. neque eſt quod quiſquam obijciat, inuentam hoc traducendæ in naues pecuniæ eo noxium eſſe, quod illa niſi alio auerteretur Meſſanæ in emendis mercibus

ſuiſſet occupanda. id enim tum demum admitti poſſet, ſi rè vera in vnum hunc vſum mercium comparandarum argentum hoc Genua aut Florentia Meſſanam ſubueheretur. atqui non aliam ob cauſam à noſtris ſolito carius emi ſolet, quam vt in Orientem tranſuehatur. quod ſi quoque iſtis placeat Meſſanenſes hac traijciendæ pecuniæ conſuetudine interdicere, non tamen etiam exteræ nationes, quæ frequentiſſimæ Meſſanæ eſſe ſolent, prohiberi poterunt, impedientibus mutui commercij & fœderum legibus. ita fiet, vt Senatus optimi prouidentia quantum Mamertinis de honeſtiſſimo hoc quæſtus genere diminuetur, integrum ad peregrinos & aduentitios homines accedat. Poſtremò illud quoque ſcire iſtos oportet, magnum hunc terrarum orbem ita à Deo Opt. Max. eſſe diſpoſitum, vt nulla omnino regio ſit, quæ omnia ex ſe ſe gignat ac procreet, quæ non ab externis prouincijs aliquid petat, quod vel ad humanæ ſocietatis conuiƈtum, vel ad vitæ ornatum deſideretur. ita fieri, vt pecunia quæ rerum omnium æſtimatio & pretium eſt, omnes pene orbis regiones obambulans non vno conſiſtat loco, ſed citiſſimo gradu ac pene præcipiti nunc his nũc illis proximis, diſſitis prouincijs longe lateque peregrinetur. Non igitur eſt, quod ſapientes iſti tam anxiatam exquiſita cura, aut pecuniæ velocitatem certis obieƈtis repagulis corrigere & remorari, aut metis veluti & cancellis includere nimium curent, aut rerum hanc viciſſitudinem atque inordinatum ordinem certa ratione poſſe ſe moderari ſperent? ſed ne priora illa, quibus, vt ante dixi, bene prudenterque cœptam de Meſſanenſi emporio amplificando cogitationem irritam fecere, vel per ſuperbiam deſpexiſſe, vel veri conſcientia de induſtria præterfugiſſe videamur, quam infirmum eſt primum illud, quod verentur, ne mutui commercij prætextu hoſtis res noſtras doceatur. quaſi magna illa Turcarum reſpublica aut tam barbare aut tam ſtupide ignaueque adminiſtretur, vt niſi ex vnius Mamertini portus oſtijs noſtrorum conſilia ad eos perferri minime poſſint. quaſi non Gallia tota illis pateat, Venetiæ ipſæ, cunƈtæque pęne ciuitates, quæ Adriatico mari obiacent. quaſi non magna cura potiſſimam hanc ciuilis doƈtrinæ partem traƈtent, quæ in ſpeculandis hoſtium rebus poſita eſt, magniſque & inſanis

profu-

profuſionibus in celebrioribus quibuſque Chriſtiani orbis ciuitatibus, in ipſis Principum aulis certos fidiſſimoſque exploratores habeant. Nec minus futile illud, quod opinantur, in tanta conuenarum frequentia facile illos ciuitatem per inſidias occupaturos. nam cui tandem ſano capiti perſuaderi poterit, munitiſſimam vrbem, & ciuium cura peruigili, & Hiſpanorum militum firmiſſimis præſidijs inſtructam, intra ipſa pęne viſcera Hiſpanici imperij poſitam, tanto terrarum ac marium interuallo ab hoſtium ditione diſſitam, paucorum mercatorum vi conſilioue inuadi aut expugnari poſſe. certe neque Anconitanam ciuitatem, neque Epidaurienſem, neque ſubiecta Venetæ reipublicæ loca, aut in hiſtorijs legimus aut ab alijs accepimus, mercaturæ obtentu à Turcis hactenus tentatas, minus multo oppreſſas vel occupatas. Tandem neque eſt, quod cauti admodum ac ſuſpitioſi homines ab Turcarum & barbarorum conuictu Meſſanenſium vel pudicitiæ vel religioni multum timere debeant. nam de vtraque ſecuros eos ego eſſe iuſſerim. Etenim ſi occupato per Sarracenos Siciliæ imperio, profligataque per eorum tirannidem Chriſtiana religione, Mamertini fidem à maioribus traditam ſartam tectamque coluere, qui tandem fiet, vt florente republica & vindice pietatis Hiſpaniarum Rege, aut morum caſtimoniæ, aut fidei integritati periculum eſſe poſſit? ſed ego quidem merito Panhormitanos de religione, de puritate Meſſanenſium tam anxie exquiſiteque ſollicitos excuſauerim, vt qui, veteri & conſueto hominum vitio, alienas animi affectiones moreſque ex ſuis metiuntur. cum enim, pro ea qua ſunt, quaque maxime ipſi gloriantur in externos homines comitate, pro pulcherrimæ vrbis & feraciſſimi agri delicijs, ſciant ſe Scriptorum prædicatione in vtraque Venere male audire, aduerſaque & probroſa fama laborare; cum item meminerint Sarracenis imperantibus longa barbarorum conſuetudine Chriſtiana religione ſe excidiſſe, nihil mirandum, quod hæc quoque vitia apud Meſſanenſes hæſura ſuſpicentur. At enim hæc grauia quidem ſunt, & quæ mirum in modum Meſſanenſium rem labefactent. quid illa memorem, quæ non vnam, aut alteram prærogatiuam vrbis minuere, non certa aliqua honeſtæ ducendæ vitæ ſubſidia tollere, ſed totam ipſam Ciuitatem

Boccac. Decamer. dieta 8. fab. 10
Bermūd. de cōcubin. tit. de peccato ſodom. nu. 8

euertere, ſuiſque è ſedibus conuellere per ſe ipſa poſſent? quam ſæpe ipſi vidimus, quam frequentiſſime accidit, Senatus Regij edicto omnia Siciliæ rei frumentariæ emporia obſtrui, prohiberique, quominus ex ijs portubus frumenta extrahantur? at quid tandem veſtra Meſſanenſium id intereſt, dicet aliquis? multum ac ſane multum, inquam. cum enim ex tribus Siciliæ partibus, duæ feraciſſimæ frumenti ſint, quę verò Meſſanæ propior eſt, quamuis alijs rebus ſane quam abundet oleo, ſaccaro, pecore, ſerico, nemoribus, arationibus tamen ob locorum ſitum minus apta ſit, inde eſt, vt ex reliqua Sicilia neceſſaria hæc vitæ alimenta conuehi opus ſit; Qua in re grauior multo eſt conditio prouinciæ Meſſanenſis. nam aliæ quidem Siciliæ ciuitates, quia frumentarijs agris proximæ, etiam ſi maria claudantur, nihil tamen prohibet, quin exigua impenſa, expeditaque opera, iumentis quamcumque frumenti copiam traijcere poſſint. at Mamertina ciuitas, ſubiectaque oppida, cum longe ab ijs agris recedant, non niſi grauiſſimo ſumptu iniri tranſuectio poſſit, plurimiſque tum temporis, cum itineris difficultatibus eſſet obnoxia. itaque cum maritimi Siciliæ exitus intercluduntur, id quidem verbotenus continetur, ne ad externas prouincias traijcere frumentum liceat, re verò ipſa illud agitur, ne Meſſanẽſes ex Siciliæ emporijs ſubſidia vitæ comparent. Quid ſi doceam, tum præſertim portus occludi, cum Mamertini magiſtratus ſuper frumentationis ineundæ modo, ac pretio cum Palatinis decidere pro eorum arbitrio recuſant? nimirum vt vel malo coacti diſcant ad eorum conditiones depaciſci. Quid ſi oſtenderim plus ſæpe eueniſſe, vt, cum vrgente annonæ caritate Quæſtores Regij, æquabiliter inter Siculas ciuitates, atque oppida frumentum partirentur, petentibus Mamertinis, vt ſuæ quoque vrbis ratio haberetur, de Conſilij ſententia reſponſum eſſe, curent aliunde ſibi aduehi, in Sicilia ne granum quidem habituros? quid ſi tandem illud addiderim, non modo hoc animo aduerſus noſtram vrbem fuiſſe Senatum Regium, ſed quamcumque etiam frumenti rationem in Siciliæ emporijs Meſſanenſes emptam, aut in nominibus haberent, vi, metu, iure, iniuria non ſemel abduxiſſe. Date veniam ſanctiſſimæ leges, & iuſtiſſimis in veſtros Sacerdotes querelis laxari habenas ali-

quando

quando permittite. Tamne deſpiciendi vobis Mamertini videmur, vt cum obſcuris quibuſque & abiectiſſimis Siciliæ populis libera alimoniarum commercia ſint, nobis prohibeantur? Adeo ne peſſime de tota Sicilia nos meriti, vt cum illa omnibus prouincialibus alimenta proportioni ſuggerat, ſoli Meſſanenſes indigni videantur, qui ex Siculis frugibus vitam producant. An ita odioſi Cœlo, ac terræ ſumus, vt ne quidem acerbiſſima æſtimatione annonam comparare liceat? ſcilicet id tandem æquo ferendum animo quis exiſtimabit, in inſula Cereris natos, vbi primum fruges inuentæ eſſe dicuntur, Siciliæ commodis arceri, exteras ſuperioris Germaniæ inſulas, Macedoniæ, & Syriæ remotiſſimas ſinus petere, ad annonam iniquiſſimis pretijs pęne & precibus obtinendam, ciuitatis ampliſſimæ vitam, ac ſpiritum ventorum, tempeſtatum, mariſque arbitrio, in dies, in horas, in momenta permittere. ne ſi multum quidem velitis, tegi conſilia veſtra poſſunt, vel non tanti apud vos eſſe eius vrbis iacturam, vel vnum hoc eniti, vt qua maxima fieri poteſt inopia, atque egeſtate opprimatur.

Verum hæc, quæ hactenus perſecutus ſum, ſolas Meſſanenſium res imminuere, aut etiam euertere videntur, priuatam vnius vrbis cauſam ſpectant. vtinam non aliquid eſſet, quod rempublicam omnem, quod Regis dignitatem, exiſtimationemque conuellat. Id verò eſt; recens illa Panhormitani naualis extructio, quam primo quidem aſpectu, non modo nulli impedimento, ſed magno quoque vſui eſſe aliquis opinabitur. ſed ſi cauſam omnem penitus excutere, ſuiſque à principijs metiri voluerimus, haud dubie magno quandoque damno futuram reperimus. ſed illud prius conſideremus licet, quo apparatu, quibuſuè artificijs conſilia iſta ſuſceperint, promouerint, ad exitumque perduxerint. Primum omnium celeberrimum, & ampliſſimum nauale, quod Garzias Toletus Siciliæ Prorex Meſſanenſium ſumptu in extremo portu ſapientiſsime erexerat, ſecretis artibus, & veluti per cuniculos expugnatum, ſolo æquari iuſſere. tum deinde, cum ad ſubſtruendas triremes veteri iſto, quod reliquum eſt, vterentur, obmurmurare primum, fraudem fieri regijs rationibus in mercenarijs operis conducendis, deinde magno Meſſanæ emi picem, ferrum, linum cætera-

que

„ que id genus, quæ ad extruendam, ornandamque nauem
„ pertinent, Panhormi hæc viliori venire, & diligentius à Se-
„ natu curari poſſe. accedere inſuper, quod Ærij Siciliæ mon-
„ tes, item Æthna ſuppeditare materiem omnem abunde poſ-
„ ſunt, quod eam magno temporis, & vecturæ compendio tri-
„ remes ipſæ aduehent, quod ad ſtruendas naues publici ſer-
„ ui, item & ad remum damnati idoneam operam nauabunt.
„ Igitur collatis capitibus, vna omnium ſententia fuit, ex vti-
„ litate reipublicæ videri, naualem arcem, quam ampliſsi-
„ ma, munitiſsimamque Panhormi conſtitui.

Non ego illud hic quæro, qui licuerit nobiliſsimum ædificium grauiſsimorum hominum conſilio exædificatum, ſubitarijs decretis euertere. tacitus prætereo, quam falſo calumnientur minoris haberi Panhormi poſſe nauticum inſtrumentum, cum Meſſanæ hæc vti & reliqua omnia vilius veniant. non in diſceptationem reuoco, an è reipublicæ commodo ſit, tam longa nauigatione, tam periculoſo itinere, inter obſeſſa ſemper à piratis Æolidum inſularum loca materiem importari, quæ aliquando inimicorum vſui eſſe poſſit. At quis non rideat hominum infantiam, qui perſuadere ſe poſſe exiſtiment duos illos Siciliæ montes, qui ne breuiori quidem nauigio ædificando integrum lignorum apparatum ſuggerere per ſe valeat, triremium claſsi parandæ ſatis eſſe? quis non conſilij proteruiam ſtupeat, cumque iſti commoda, & quæſtus ſibi fingunt, non Panhormi modo, ſed & Syracuſis Liliboei, alijſque quantumuis diſſitis Siciliæ locis haberi poſſint, Panhormitanæ ciuitatis proprios, & peculiares eſſe blaterant. nam ſi triremes ligna traijciant, ſi remiges fabrile opus tractent, an non hæc vecturæ, hæc diurnæ operarum mercedis compendia Meſſanæ itidem, vt Panhormi ſalua eſſe poſſunt? ſed accuratius hæc conſideremus licet. Ecquis tandem tam inſano conſilio erit, vt Siculam claſſem conuehendis ex extrema Calabria abietibus hyberno tempore (nam æſtate tota in itineribus & expeditionibus eſt) tam certo diſcrimine, tam exilis ac tenuis commodi ſpe mari committere audeat, cum minori periculo eam operam breuiores naues præſtare poſſint? an non mera eſſet inſania, omnium votis, ſententijſque damnanda, tot ampliſſimis ſumptibus, curiſque reipublicæ conſtructas naues vni

iſti lucello faciendo addicere, vt ſi quid aduerſi inciderit, nec ſacculi integri vecturæ ſarcire iacturam valeant? At multum, inquient, lucri fiet, ſi remiges, cum in hybernis Panhormi ſunt, faciendis nauibus occupentur. Eſto id facile factu ſit, an non Meſſanæ quoque id fieri licet? ſat ſcio, reſpondebunt, omnino non poſſe. quod claſſiarios, remigeſque, ipſas etiam triremes tuto ac ſine periculo in ea ciuitate hybernare difficillimum ſit. ſcilicet increbuit horum prædicatione opinio aſperrimam hyemem Meſſanæ eſſe, rigidum cœlum, grauiſſimum aerem, vt de ſeruitij valetudine maxime deſperandum videatur, quin naues quoque præſentiſſimum exitium ſubire, quod neſcio quis vermiculus vnius Mamertini portus ciuis atque incola eas corrumpat. mirum ni non & terræ metus metuant, pluuias, fulgura, tonitrua. & videntur mihi iſti, velut alter apud Plautum Staſimus Mamertinam ciuitatem aduerſa adeo fama diſtuliſſe, quaſi ſi hoſpitium, vt ille dicebat, calamitatis ſit, in quod maleficos detrudi oporteat: quaſi hominum quantumuis patientiſſimorum nemo extet, qui ibi ſex menſes totos vixerit: quaſi quamuis malam rem quæſieris, Meſſanæ reperturus ſis. Enim verò rectiſſime ille ſenſit, quiſquis fuit, qui inuidiam inde dictam exiſtimauit, quaſi aut minus, aut nihil videre inuidens poſſit. Nam quis obſecro eſt, vnos modo Panhormitanos excipias, quin videat Panhormitanam ſtationem multis nominibus vix conferendam cum Mamertina eſſe? niſi forte cenſeamus, aptiorem ducendæ vitæ plagam illam Panhormitani littoris ventorum omnium flatibus aſſidue pulſatam, nullo ſinus alicuius perfugio, nullo murorum obiectu munitam, maris hyberni excurſionibus obnoxiam. Quod autem Meſſanæ aliquando triremes vitium faciant, videant, ne id quoque præfectorum negligentiæ, aut auaritiæ verius tribuendum ſit, qui vt hunc quoque quæſticulum ex publicis rationibus corradant, nauium latera non primo quoque tempore pice ſeboque obliniunt, nec contra cariem medicinam parant. nam ſi maris vitio id contingeret, veriſimilius multo eſt, eius generis vermes in Panhormitano mari gigni poſſe, quod cum pleriſque in locis breuia habeat, cum planum ſit, & cum ſitu, tum herbarum colluuie putridum, & infame, alendis iſtiuſmodi naturæ

peſtibus

peſtibus aptiſsimum eſt. cum contra Mamertinum fretum recurrentis æſtus agitatione, vel Plinij iudicio, purgatiſsimum ſit. At quis illud indolere ſatis poſsit, quod vno iſto conſilio honeſtiſsimum, & publicæ rei maxime ſalutarem fabrorum ordinem euerſum eant. Neminem eſſe opinor, quin ſciat, tum ob frequentiſsimam ciuium, & exterorum conſuetudinem, tum ob commodiſsimum portus appulſum, tum etiam ob facilem ex proxima Italia ligni exportationem, magnam fabrilium operarum manum Meſſanæ hactenus fuiſſe, honeſtam in primis, copioſam & induſtriam, vt nulla omnino in Italia ſit ditionis regiæ ciuitas, quæ conferri poſsit. At qui iſti quidem maiorem anni partem fabricandis priuatorum hominum nauibus tranſigunt. nam triremibus in nauali conſtruendis tres aut quatuor menſes vacant: quo fit, vt ſi Regius Senatus in ſententia manſerit, nec niſi Panhormi longiores naues ædificari velit, tertia anni parte Meſſanenſes otioſi eſſe, & quotidiano illo quæſtu carere neceſſario debeant, ac vel alio migrare, vel ſe ſuis artibus remouere compellantur. quippe vniuerſum hoc genus hominum frequentia ciuium, operum copia ſuſtinetur, atque alitur. Atque hoc quidem incommodum æquiori animo ferri vtcumque poſſet, ſi modo ſpes eſſet opificum iſtud Panhormi reſtitui in integrum poſſe. nam cum in hiſce tractandis rebus, non priuato patriæ ſtudio ducar, minus dolerem, ſi qua ratione fieri poſſet, ne eius generis operis carere aliquando debeamus. at niſi fallor illud potius conſequemur, vt neque Meſſanæ, neque Panhormi florere iſtæ artes in poſterum poſsint. At de Meſſana iam dictum. Panhormi ſane multo minus copioſus, & affluens is hominum ordo eſſe poterit; nam quod vſui ad hanc rem eſſe poſſe ſeruitia, prædicent, haud quidem ex animi ſententia id ab ijs dici ſenſerim, ſed vt eo priuati commodi ſcrupulo iniecto, ſpem omnem Meſſanenſium rebus in præſens præcidant, deinde verò alia, atque alia conſilia eſſe ſumpturos; alioqui enim quis ignorat Turcas, Mauros homines obtuſiſsimo ingenio eſſe ad has artes addiſcendas? quis non videt, etiam ſi qui eas edoceantur, non multam in ijs ſpem eſſe collocandam, tum ob naturale gentis in nos odium, tum quia oſcitanter iniurioſeque in opus incumbent. ac tandem etiam non latere eos

debuit,

debuit, cum Iuriſconſulti ſint, Honorij & Theodoſij edicto * capitalem pœnam ijs proponi, qui conficiendarum nauium artes barbaris tradiderint. Quod ſi de liberis operis ſit ſermo, fac eæ magnis inuitatæ præmijs Panhormum confluant; haud dubie, quo ſe, familiamque alere honeſte poſſint, integrum annum ſarciendis, aut ex integro faciendis nauigijs occupari debent. Ac naues quidem non niſi priuatorum eſſe poſſunt, aut quas Senatus ædificari iuſſerit. de illis primum diſpiciamus. videntur enim iſti ſic opinari, quaſi non defuturi ſint in tam magna vrbe, qui priuato nomine naues ſibi fabricari curent. at quam facile id fieri poſſit, inde apparet, quod cum ligna, tabulæ, ferrum, cæteraque id genus, nimium magno Panhormi conſtent, vix quiſquam erit adeo vel rerum imperitus vel rei ſuæ prodigus, qui Panhormi mille aureos ſumptui onerariæ nauis parandæ præbeat, cum Meſſanæ eadem fere impenſa duplo maior haberi poſſit, quam enim iacturam, & intertrimentum ex varijs rerum pretijs Senatus, vt genio ſuo indulgeat, non magni facit, priuatæ opes ferre non poſſent. At, inquies, curæ erit Quæſtoribus, ne ſtruendarum nauium occaſiones deſint. qua in re nemo eſt, quin videat, Siculam claſſem non eo eſſe nauium numero, vt vel reficiendis, vel nouis ędificandis triremibus conducticias fabrorum operas alere toto anno poſſit. Ac præter hoc quoque illud accedit, quod non continente, perpetuiſque operis cęptum opus ad extremum vrgetur, ſed quindecim fere, aut viginti diebus ſtrenue diligenterque efficiendis rebus artifices deſtinentur, reliquum vero tempus otioſe illis effluit. Contra vero ſæpe, ac plurimum continget, vt tam grauis reipublicæ neceſſitas incidat, vt cum ſolæ Panhormitanæ operæ vix ſatis ſint, Meſſana euocari fabros, etſi peregrinationem detrectent, per vim adigi opus ſit, quod tum illis moleſtiſſimum erit, tum etiam impellet, vt filios quietiores alias artes edoceri curent. Ita neutra ciuitas ſolidum aliquod & copioſum huius opificij collegium habebit. Iam vero quantum id reipublicę interſit, quantum ad regiam dignitatem, exiſtimationemque conſeruandam, nihil attinet dicere. Nam ſtatuamus tandem Chriſtianam claſſem cum hoſte confligere, non dubium erit, quin naues tormentorum, igniumque vi perforatæ, & laceræ, aut hoſtili impreſſione quaſſatæ, refici neceſſario debeant. id

* l. vltima C. de poenis.

vero niſi magna fabrorum copia aduocata, multiplicatiſque operis obtineri qui poteſt? quid quod interdũ belli caſus celeriorem operam,diligentiamq.deſiderat,vt ſi iterum in certamen exeundum ſit, pugnaque committenda? nec veterum exemplis eſt opus,paucis enim ante annis,cum regię nauium claſſis præfectus Ribiera,cõmiſſa cum Venetis pugna, Brunduſium tenuem vrbem ſe recepiſſet,atq. ad ſarciendas naues celeritate in primis opus eſſet,Offunę Dux,qui Neapolitano Regno præerat, magnam fabrorum manum Neapoli quam citiſſime Brunduſium ire iuſſit,quos inter cẽtum fere Meſſanenſes operæ numerabantur, qui Meſſana Neapolim acciti prætoriæ naui conſtruendæ id tẽporis operam dabant. Accedit tãdem,quod copioſum hoc Meſſanenſium fabrorum corpus,illud quoque emolumẽtum ſecum affert,quod non negligenda tum maiorum tum minorum nauium manus refectionis gratia Meſſanenſem portum ſubit, id quod multum momenti afferre ad reſpublicas poterit; quippe pro re nata, ſi caſus poſcet,& ipſa nauium inſtrumenta,& nautæ remigeſq. claſſi regiæ inſtruendæ ornandæque adiumento eſſe poſſunt. Qui locus me admonet, ne maiorum noſtrorum diligentiam ac diuinum prope conſilium ſine peculiaris laudis cõmemoratione prætercam. qui cum optime intelligerent, quantum reipublicæ interſit naualis diſciplinæ cultũ ſartum tectumq. cõſeruari,plurimis irrogatis priuilegijs claſſiarios homines, tum ipſos quoque nauium conficiendarum opifices meliori iure eſſe,quam cæteram vrbanam multitudinem voluere, vt neque tributo obnoxij cenſerentur,neque ob æs alienum in carcerem trudi poſſent, neque etiam de capitalibus cauſis alibi,quam apud ſuum iudicem appellarentur. proinde nec mirum eſt, harum immunitatum authoramento ita illos deuinxiſſe,vt ſi quis repentinus hoſtium incurſus,ſi qua parãdæ claſſis neceſſitas ingruiſſet,facillimum eſſet intra paucas horas ex vno Mamertinorum agro tot millium hominum ſubitarias operas ſigno dato colligere,vt iuſtæ claſſi inſtruendæ, atque ornandę ſatis eſſent. alioqui vero qua tandem alia ratione fieri potuit,vt vna Meſſanẽſis vrbs,quod plus ſemel Fazellus ſcribit,viginti duarum & eo amplius claſſem incredibili,vt ille ait,celeritate in mare deduceret.

Enim vero ſi noſtrates non tam nomine, quam re ipſa publicis

blicis commodis ſtuderent, non de imminuẽdis maritimæ rei inſtrumentis, ſed de amplificandis augendisq. certarent. an non vero pudere ipſos debent, ita vexatam, ac potius euerſam in Sicilia eſſe naualem diſciplinam, vt in freto ipſo Mamertino prædas facere, piratæ audeant. vt quaſi recepto more ad certos atque expeditiſſimos quæſtus annuas excurſiones in Siciliam faciant. vt non littorales modo oras depopulari, ſed & recedentia amari, munitiſſimaq. oppida expugnare, impune liceat. Atqui, niſi cum nauali gloria etiam omnem laudis cupidinem amiſimus, Maiores noſtri omnium primi inuictas ante id tempus, & Perſico imperio formidatas Atheniẽſium vires iteratis victorijs nauali certamine debellarunt. Noſtri fugitiuum, & omnibus fortunæ auxilijs deſtitutum Sex. Pompeium ornatiſſima claſſe eiectum, confirmatumq. Auguſti fœlicitati parem pęne fecere, vt vel fati malignitas fuerit, vel victoriæ abuſus, quod nõ Romani orbis imperio poſitus ſit. noſtri ea naualis diſciplinæ gloria polluiſſe antiquitatis iudicio crediti ſunt, vt Romanę Naumachię non alias in naualis pugnæ imagine factiones, quam Siculam, & Rhodienſem agnouerint. piget vetera recitare. At quis vero Rogerio Siciliæ Regi in maritimæ rei imperio cõferri potuit? quem narrant tam magnum Conſtantinopolitano Imperatori metum inieciſſe, vt & aureas ſagittas è prætoria naui in Palatium iaculari, & ex Regijs hortis poma per contemptum decerpere otioſe licuerit. in ſacro bello adminiſtrando an non Siculi, & nauium numero, & militum robore, & rerum geſtarum gloria cum Genuenſibus, cum Venetis æquam laudem tulere? Iam depreſſas hoſtium claſſes, cæſos Gallorũ, & Neapolitanorum Regum exercitus, toto illo bello, quod pro Aragonum Rege à Siculis ſuſceptum eſt, ſatius eſt ex hiſtorijs petere, quam non pro dignitate laudare. Quid cauſæ igitur eſt, cur Sicula gens & ſuo ingenio ad naualis rei gloriam procliuis, & veterum exemplo ſane quam incitata, non aſpirare nunc quoque ad eam laudem poſſit? cur hanc ſpem eis inuidemus? cur ipſa quoque inſtrumẽta nauticæ diſciplinæ præcidimus? cur gentem induſtria quondam potentẽ, & manu ſtrenuam effeminata mollitie, luxuriaq. eneruari patimur, imo etiam iubemus? An quod exiſtiment ampliſſimam Regis Hiſpaniarum monarchiam, cum ſatis ſuperq. vi-

rium

rium terra habeat, de maris imperio nõ tam ſollicitam eſſe opotteret? At qui vix quiſquam hactenus repertus eſt, qui neglecta maritimę rei cura nimium aliquod aut diuturnum imperium ſibi cõpararit. An quod, etiam ſi maris potentiam quęrimus, ſatis ei conſultum eſſe poteſt, ſi mercenarijs nauibus vtamur? at quanti reipublicæ conſtet tenue hoc auxilium, quam magno ſumptu venales iſtæ animæ alantur, facile iniri ratio poteſt. quantum etiam eius generis armis fidendum ſit, tum veterum, tum recẽtiorum exemplis docemur. fœderi ſane inter Paulum III. Carolum V. ac Venetos inito infamem exitum non niſi mercenarias triremis originem præbuiſſe, hiſtoriæ narrant. Actiacam vero victoriam eædem ipſe Sereniſſimo Principi Ioanni Auſtriaco tantum non è manibus abſtulere. conſtat vnum illud Turcicæ claſſis cornu integrum, nec ſine aliqua victoriæ laude ex prælio exceſſiſſe, quod eius generis naues aduerſarias, an ſpectatrices habuit.

Sed quam vereor, ne hæc aliaque quæ de optima Siciliæ adminiſtrandæ ratione differi poſſent, vigilantium ſomnia merito aliquis dixerit. vt enim ære alieno grauiter oppreſſi, vel ſuperbientis fortunæ caſibus extreme iactati, in magna ſolitudine, rerumque inopia fugientem animum, & præ magnitudine doloris alio migrantem, vnica illa ratione recreare, & veluti auocamento confirmare ſolent, ſi montes aureos imaginentur, ſi villam ſplendidiſſime, & ad veteris architecturæ ſpeciem exædificatam animo concipiant, ac iam ſubire ampliſſimas porticus, diſtincta Africanis columnis periſtilia circumire, ſtatuas in intercolumnijs poſitas accurate inſpicere, laudare, mox aſcenſu facto tricliniorum amplitudinem metiri oculis, luſtrare cubicula, teſſellata pauimenta, aurea laquearia ſuſpicere, balnea, bibliothecas, Xiſtos admirari ſibi videntur, iam ſubiectos ameniſſimos hortos, pellucidos ac nobiles fontes, vmbroſos lucos, deambulationes, quid non, iucundiſſimo proſpectu contemplari, iam beati eſſe, iam in iſtis ineptijs toti ſibi perplacere, & ſi quis ab ea contemplatione moleſte eos diſtrahat, dolere quod nõ genio ſuo indulgere, quod non ipſis ſe ſe decipere, & fruſtrari, per aliorum importunitatem liceat. Ita ingentis mali & impendentis Siciliæ ruinæ conſideratione oppreſſis, non fruſtra erit, exoptatam omnium votis, & à bonis anxie quæſitam reipublicæ conſtituendæ formam, hoc veluti penicillo vtcumque delineare; vt ſi quidem eam Sereniſſimi Principis pietate, prudentiaque aſſequemur, vera ſomniaſſe omnium iudicio exiſtimemur; ſin vero improborum peruicacia malo ſuo indormire, & medicinam reſpuere maluerit, æquiori feremus animo, quod & ſciamus Sapientiſſimum Plotinum ne dirutam quidem olim in Campania ciuitatulam obtinere à Gallieno Imperatore potuiſſe, quam inſtauraret, & ad diuinam Platonicæ reipublicæ rationem atque præſcriptum gubernaret.

F I N I S.